

OPVSCVLVM

De indiuisa, & vnanimi
SACROSANCTI EVANGELII
Prædicatione

Ab Orthodoxis, & legitimè missis diuinis verbi Concionatoribus disseminanda, pro communi Gentium, aliorumq; infidelium cultura, & messe.

A. V T H O R E
A.R.P.F DOMINICO GRAVINA
ORD. PRÆD. SAC. THEOLOGIÆ MAGISTRO.



In uno spirito vnamini collaborantes fidei Euangelijs.
Philippi 1:22

NEAPOLI, Typis Scipionis Bonipi. In ædibus S. Dominic. 1635

Illustriss. & Reuerendiss. Domino
D. ANTONIO
EPISCOPO
VIENNENSI.

S. C. M. Consiliario, & Sac. Rom. Imp.
Principi, &c. F.



*Omnibus legitimè missis
Euangelica predicationis
palaestra designata est, cō-
munes, & tituli, ut de
communibus causis; pro-
inde non priuatos, sed cō-
munes excursus habeat necesse est, de genera-
li institutione conditoris sui, ad omniū Gen-
tium conuersionem, missionem demandan-
tis: Docete omnes gentes. Res ipsa testificatur
eos non cognitas tantum regiones, sed etiā to-
tius Orbis theatrum Christo Domino subdi-
sse, inaccessa multarum subitarum Gen-
tium, & Prouinciarum loca (qua enume-*

rare vix possis) ultra ea que intra Oceanum
ambitum conclusa sunt) Evangelica tuba
penetrante. Vbiq; autem (scripsit contra Iudeos Tertull.) Christus annūciatur, qui om-
nibus Rex, omnibus Iudex, omnibus Deus,
et Dominus est. Ante illum aperta sunt por-
ta, et ciuitates non claudentur, ex Esa.5.25.
Per has primō ingressus Basilicū cum socijs
(instituti S. P. tui Benedicti) velut nouus
Aminadab, viam sternens in mari alijs
quadrigis sub vexillis SS. Dominici, Fran-
cisci, Augustini, Ignatij, qui pariter in insu-
las maris portarunt nomen Domini: indiffe-
renter ab Oriente, et Occidente, Aquilone
et mari ad intrandas portas iustitiae popu-
los inuitarunt, quippe quæ in Sacerdotes, et
Leuitas assumptos de cunctis gentibus fra-
tres suos adducere ex prophetica iussione ne-
cessē erat: Etiamnum Ioannes Apocal.c.2 i.
pro gentibus interpellat [Porta eius non clau-
detur per diem] singula. n. porta diuersorum
Ordinum, ex singulis margaritis, eiusdem
fdei, et confanguinitatis doctrina sacramen-
ta contexta. Et ne quis aliqua divisionis sera,

vel

vel vnam solam confirmaret ad ingredien-
tes, & ianitores conclamatū est, & illis de-
mandatum est: [transite, transite per portas]
Ez 2. non unus, vel alterius instituti mini-
sterio, his vero præparate viam populo, pla-
num facite iter, eligite lapides, & leuate si-
gnum ad populos: ecce dominus auditum
faciet in extremis terræ. Hic typus, & for-
ma (Illustriss. Princeps) indutus a predicatio-
nis in Gentium, & aliorum infidelium Regnis
plantanda, & excolenda. Non officiet mini-
sterorum diuersitas, cum se esse sal terra me-
minerint à Christo Domino appellatos, in
corruptionem ijs quibus eorum sermo asper-
sus fuerit conferentes. Sal autem dixit Hil.
in Matt, in se uno continet aquæ, & ignis
elementum, & hoc ex duobus est vnum.
Eiusdem salis natura semper eadē est, nec
immutari vñquam potest, ne dissoluatur hec
symmetria: solum cauendum est ne infatuati
nihil fadiant, & ipsi sensu accepti saporis
amisso viuificare corrupta non possint, &
proiecti de Ecclesiæ promptuarijs, cū his
quos salierint, pedibus proterantur. Id ex
dini-

divinis eloquijs, & P.P. doctrinis ex umbra
ad Solem (ut dicitur) procedendo, demonstro
in hac opella vestro nominis dicata, quam non
uno titulo, sed pluribus sub protectionis Illu-
striss. D.V. umbra repono, ut lucem, & So-
lem tādem aspiciat. (Habentur ex Tertull.)
agri tributo onusti viliores hominum capita
stipendio censa ignobiliora: hac mea maxima
nobilitas, & ingenuitas hoc tributum pen-
disse viro religiosissimo, constanti assertori
veritatis, pio Ecclesiae nutritio, orthodoxo-
rum praconū in dilatatione Euangeliū prote-
ctori, cui quicquid in me tantillum est, totum
offerō, dico, consecro. Valeat in perpetuas ater-
nitates. Neap. ex Cœnobio S. Dominici die
24. Maij 1637.

Illustriss. & Reuerendissimæ D.V.

Obsequentiſſ. Seruulus

Fr. Dominicus Grauina.

L. i-

Licentia, & approbatio Ordinis.

Opusculum de indiuisa, & vnanimi Sacrosancti Euangelij prædicatione ab A.R.P.N.F.Dominico Grauina elaboratū vidi, ex mandato P.N.R.F. Nicolai Rodulfi totius Sac. Ord. Præd. Generalis Magistri, Author idem est in magnis, & in paruis omnigena sapientia eruditus, in SS. PP. lectione familiaris, in defendenda vnitate prædicationis Apostolicus, & quem in hoc opere S.D.N. Vrbani VIII. constitutio approbat, fides Catholica propugnatorem recipit, & charitas vinculo pacis amplectitur. Opus prælo mandetur, dignum n. publica luce iudico. Romæ xxix. mensis Martij Anno 1637.

F. Iohannes Gonzalez de Leon Magister, & Regens.

Si grandes materias ingenia parua non sustinent, cōtinet tamen breuis tractatus de indiuisa, & vnanimi Euangelij prædicatione, easq; dilucidè explicat. sed quid mirum? est. n. elaboratus à R.A.ac Sapientiss. P.M.F. Dominico Grauina in eius innumeris operibus de Ecclesia Dei (vt testantur eiusdē Principes) benemerito, necnon de Religionibus (vt earum profētores proclamant) alibi Schismatricorum contentionē oppugnat, modò Prædicatorum vniōnē propugnat feliciter ut obique. Hoc ergo opus semel & iterum ex mandato Reuerendiss. P.M.F. Nicolai Rodulfi, totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magistri per legi, ac quod semel placuit, satis repetitum placebit. Cumq; pro Fide Catholica toto Orbe disseminanda fidelissime decertet, nō tam meo, quam omnium catholicorum iudicio, vt euulgetur vbiq; comprolcribitur. Romæ die 16. Aprilis 1637.

Fr. Franciscus de Aragon. M.

Nos Fr. Nicolaus Rodulphus totius Ord. Præd. Magister Generalis, Opusculū de indiuisa, & vnanimi Sacrosancti Euangelij prædicatione, ab A.R.P.M.F.Dominico Grauina nostri Ord. elaboratū, ac à duob. PP. Magistris quibus id cōmisimus approbatū; typis mandari posse, quantum ad Nos spectat concedimus. In quōrū fidē his nostro sigillo munitis manu propria subscrīpsumus. Romæ die 27. Aprilis 1637.

Fr. Nicolaus Generalis Ord. Prædicatorum.

F. Ignatius Ciantes Mag. Prou. Anglia, & socius.

Facultas, &c approbatio Cur. Arch. Neap.

Opusculum dignissimum prælo censeo, non modo quia penitissimam SS. PP. eruditio[n]em redolet, verum etiam quia ardente[m] authoris zelum spirat, cuius pectus charitate flagrans indiscriminatim omnes ad Christianæ vineæ culturam, siue hæreticorum, & idolatrarum vepribus obsitammittendos docet, excluso vel secluso nemine, qui illi prodesse valeat. Neapoli in domo nostra Sanctorum Apostolorum 22. Ma[j] 1637.

Don Thomas de Aquin-Cler. Regul. Thcol. Député

*Idem censio. Ego Alexander Russus Can. Neap.
S. Theob. Doctor.*

Imprimatur.

Felix Tamburellus Vicar. Gener. Neap.

Formula Missionis Euangelicæ.

Ex S. Ambros. 13. c. de Ioseph.

Feclesia quibus potest subsidijs iuuat Gentiles, et mittit Euangelizates Regnum Dei, quo iuenerius euocentur, quibus dantur Arolæ diuersi coloris, prout in typis Christi in unera portaturi in Euangelio iuenerium largitatem. Dimittit autem fratres suos, et dixit illis Ioseph. Nolite irasci in via. Quam bene docet ab iracundia praecaendum, ubi comitatus pacis debet habere consortium. Quid autem ait Dominus Iesus, cum dimitteret discipulos suos, nisi ne irascerentur in via, dicens: Pacem meam do vobis; id est nolite irasci in via: dimittensque illos ad euangelizandum, misit eos sine virga, et pera, id est, ut incentiuia litis in euangelizando illis adimeret, &c.

PRAEFATIO.

Et Operis Argumentum.



ON ex ebore tantū Phidias sciebat face-
re simulacra, (*dicebat Seneca ep. 85.*) facie-
bat ex ære, si mar-
mor illi, si adhuc vi-
liorem materiam ob-
tulisses, fecisset quale

ex illa fieri optimū potest, sic sapiens, vir-
tutem, si licebit, in diuitijs explicabit; si mi-
nus in paupertate: si poterit in patria, si
minus in exilio, si poterit Imperator, si mi-
nus miles, quamcunque fortunam accepe-
rit aliquid ex illa memorabili efficiet.

At qua comparatio Phidia cum sublimi Ecclesia sapientia, qua ne dum in filijs suis, sed in extorribus, ne dum in vasis aureis, & argenteis, sed in fictilibus admirabile

A arti-

artificium demonstrat, dum omnibus errantibus vtitur ad profectus suos, vtitur enim, (vt dixit ingeniosè magnus ille Augustinus de moribus Eccles. c. 6.) Gentibus ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ, vt nesciam si quid ferè clarius, ac præclarius dicere potuerit, ad commendandam Romane, & Apostolica Sedis, in efformandis, & reformatis spiritualiter hominibus, architectonicam artem, & principatum. Synagoga utique non filiorum, sed spectrorum nunc mortuarium, pallida tabe, squallore fetido quaque versus infame liuēs, quo vultu prefert sua abiectionis repudium, propodium infidelitatis sua, eodem aperte prædicat Catholica Ecclesia venustatem; nam dispersi eius filij palabundi (vt Tertullianus loquitur in Apol. c. 21.) Cœli, & soli sui extorres vagātur per orbem sine homine, sine Deo, Rege, & tamen quibus nec aduenarum iure

iure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur, Eos Roma ipsa tolerat, colligitque, si quando corrigat, et in dies ex lapidibus durissimis multos suscitat filios Abraha, in petris excidit ruinos, sacra baptismatis unda aspergens, ad comparationem, immo ad decorum, et accretionem pulchritudinis sua. A schismaticis enormi totius pene Orientis hiatu perperam distracti, ac proinde sub barbaro Ottomanica Luna fascino de una in aliam heresim pseudo-Gracorum inconstantia affatim fluitantibus, suum quoque splendorem captat Petra, et vertex omnium Ecclesiarum ad documentum stabilitatis sua, cui quando incorporantur, et compaginantur, montem magnum valide, lateque diffusum agnoscentes patentissimi unicam, regiminis energiam, qua uniuersa etiam aduersa, et refractaria, in usus suos mira felicitate componit, profitentur, occidentibus a schismate redeuntibus, In petra exaltauit me & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos. Ps. 26. Quam vero illustris

A 2 cessu.

cessit ex tot circumiurgantium heresum,
 confusione, cui ineluctabile vectigal elicitat or-
 thodoxia ad probationem doctrina sua res
 ipsa loquitur, quandoquidem bellum hereti-
 corum, ipsorumque ministromachia pax est
Ecclesia (ut fatetur, & scribit *Hilarius*) &
 cum ad *Ecclesia* redeunt unitatem, tāquam
 mater sua viscera expandit *Ecclesia*, & er-
 rantes à gremio nouerca abstractos auellit,
 & pietati materna restituens, & denigrati
 carbones in uniones, & preciosas gemmas
 transmutantur, insignis victoria trophyum
 est auersos auersione contentiosa reuocare,
 & Christum in eo formare, Plus enim, dice-
 bat *Augustinus* lib. 8. confess. cap. 4. Hostis
 vincitur in eo, quem plus tenet, & de quo
 plures tenet. Tandem de *Gentilibus* sollici-
 ta, de missionibus euangelicis prouidens, Apo-
 stolicos conatus innouauit, & indiscriminato
 catholicorum operariorum ministerio, oves
 respiciens, qua non dum sunt de hoc ouili, id
 obnixè curat, ut nouum obambulent Hemis-
 pherium, conquirendo Gentes ad materiam
 ope-

PRAEFATIO. 5

operationis sua, eas velut muta animalia prout ducebantur, euntes ad Christi caulas sub fidei, & recte rationis repagulis transferendo: unde merito facientium operationes in aquis multis sacrarum missorum congregatio. Acus nautica est, & Cynosura magno diuina gloria incremento. Vix namque Philippus communicato cum Andrea consilio de nonnullis Gentilibus ad videndum Christum adducendis, prima huius tribunalis lineamenta signauit, cum mox Saluator hinc sensum sue laudis supputans ait. Venit hora, ut clarificetur filius hominis. Io. c. 12. quippe nouerat (exponente Chrysostomo Act. 15.) Quod maximè populos adducet, & mei augebit praecorium. Dignus plane Senatus operositate sua, digna tali diuina claritatis officina, quam non unus Macedo supplex interpellat ijs verbis: Transiens in Macedoniā adiuua nos, sed infinita propemodum Barbararum nationum examina, Persa cum Iapone, Thrax cū Phœnico, cum Chino Saurmata, cū Arabe multiplex Aethyops

ac

ac utriusque Chersonesi accola, uterque Indus, uterque mundus, postulantes non unum vel alterum, unius vel alterius instituti, sed multiplices mysticos Argonautas, et operarios ad communem, et indiuisā messem, undique sagaci delectu, promiscuo tamē, ex omni ordine congregatos, conuocādo. Huius ergo communis, et indiuisā operationis catholicorum praeconum, est huius meā compositionis argumentum, sequentibus Capitibus comprobatum. Superfluum censi non debet post nouissimum Decretum nouissima Constitutionis Pontificia, super missionibus Religiosorum in Iaponiam, et alias regiones Orientalium; nam superioris est leges, et decreta condere, inferioris rationibus propugnare, defendere, et rationabilia esse demonstrare. Nec S. Petrus post decretum in Concilio S. Iacobi ex Scripturis petitū discutsum audire detrectauit.

OPVS-

OPVSCVLVM

De indiuisa & vnanimi
SACROSANCTI EVANGELII
Prædicatione.

*Ab Orthodoxis, & legitimè missis diuini
verbi Concionatoribus disseminanda, pro
communi Gentium, & aliorum infi-
delium cultura, & messe.*

AUTHORE A.R.P.F. DOMINICO GRAVINA
Ordinis Prædicatorum, Sac.Theol.Magistro.

CAPVT PRIMVM,

*Communis, & indiuisa Catholicorum Præ-
dicorum in Regnis Infidelium præ-
dicatio, forma, & institutioni
Euangelij consentanea.*

I.  RCANO, haud dubiè Spi-
ritus sancti supremi nostræ
fidei propagatoris consilio
factū est, vt ubi Matthæus
Apostolicæ missionis for-
man obiter annotat his verbis : *Euntes ex-*

go

8 De iudicis Euang. predic. &c.

go docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Matth. 28. Illic Marcus illimitatæ etiam prædicationis priuilegium exprimat clarius, addens, *Euntes in Mundum vniuersum, predicate Euangelium omni creatura,* quod quo sensu exceperint Apostoli ponè sequitur: *illi autem profecti predicauerunt VBIQVE.* Marc. 16. Nimirum non singuli singulis territorijs alligati; sed in solidū omnes vniuersum sibi Mundum Euangelio imbuendum assumebant, ita enim prædictum ijs fuerat à Saluatore rediuiuo. Act. 1, *Accipietis virtutem Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudea, & Samaria usque ad ultimum terræ; ut non vni, vel alteri administrō Euangelici seminis iactus commissus in uno, vel altero loco monstraretur.*

II. Verum hic mox in limine animum pulsat quæstio non leuis, si illæ Apostolice missionis formula diuīsim ita concernebat omnes Apostolos, ut cuique Mundus vniuersus

versus committeretur illustrādus : vt quid Apostoli ipsimet post Christi in cœlos recessum iuris sui immemores Orbem sibi diuiserunt , ac sorte determinatas singulis Prouincias partiti sunt ? solo enim Iacobo Domini fratri cessere Hierosolymam , ca- teri indè variè dispersi in Orbem , suam quisque Regionem adierunt , Italiam Pe- trus , Asiam Ioannes , Paulus Illyricum , An- dreas Achaiam , Thomas Indiam , Maior Ia- cobus Hispaniam , Alij alias , iuxta tenorem suæ fortis inquirendo Prouincias . Ita omni- no fatendum est , fuisse aliquando institutā huiusmodi diuisionem inter Apostolos , vt alij alij prædicarent , quando nimirum ita fundandæ primum Ecclesiæ , fideique mox ad extreum usque terrarum deferendæ erat necessarium . Nam cum essent nume- ro pauci , quibus tanta terrarum , mariumq: spacia emetienda fuerant , incommodum fuisset repentinæ Euangeli plantationi , si- cubi bini , terni , quaternivè , aut plures Apo- stoli in vnam Prouinciam cōfluxissent , de-

stituendo interim cæteras nondum excusat; oportebat enim potius, quod in omnē terram exifet sonus eorum, & in fines Orbis terræ mox pertingerent verba eorum: oportebat subito fundari vbiique Ecclesiæ, quæ deinde ijsdem sacramentorum Symbolis, ac eiusdem confessionis publica communione contesserarentur: oportebat denique mox Orbem vniuersum, saltem in principalioribus locis erudiri viuo testimonio eorum, qui ab initio cum Christo fuerant, & quorum manus contrectauerant, quorum demum crux, ubi opus erat, fides ob-signaretur.

IH. Vnde puto sufficienter elucidare discrimen prisæ illius Apostolicæ diuisionis à moderna, si vñquam (quod absit) fieri tentaretur, non enim nunc ob promiscuū omnigenarum Catechistarum, & communem operam vlla Notarum Provinciarū suo destituitur cultu, cum vbiique iubetur promiscue accedere qui possunt, solūq; id ex indiuisione procuretur, ne alicubi

absint

absint Euangelici Prædicatores etiam numerosi, non vero ut in vnum angulum cōfluant omnes, deserta reliqua tot Regionū vastitate.

IV. Et si in memorata Apostolorum præxi tatis per immorari lubet, inueniemus eos etiam non obstante isthac aliquando necessaria diuisione; nihilominus promiscue circa cuiusquam iniuriam, aut offendam, prædicasse. In primis Hierosolymis, vbi Iacobus consederat, indifferenter concionabantur omnes, omniisque die non cessabant loqui in templo, *Et circa domos docentes, & Euangelizantes Christum Iesum.* Act. 6. vbi sanè nec suspicere possumus eos Iacobi ordinaria auctoritate aut prædicasse, aut siliuisse, nec sibi diuisisse vicos, aut suburbia, vbi singuli libertimē soli prædicaret. Exarsit hinc paulò post Iudeorū rabies in atrocem persecutionem, *Omnesque Discipuli dispersi sunt per Regiones Iudea, & Samaria, prater tumē Apostolos,* Act. 8. qui adhuc maluerunt, tunc indiuisa prædicatione, etiā

B 2 feruen-

feruentibus periculis obdurare. Ex dispersis verò memorantur, qui pertransibant euangeliꝝ antea verbum, inter quos Philip-pus descendens in Samariam, prædicabat illis Christum, Act. i i. Nec tamen ab hoc deinceps prohibiti sunt Petrus & Ioānes, quominus & ipsi eò accederent. Sic igitur indiuisæ primum assueuerant prædicationi Apostoli quamdiù intra vnius Regionis li-mites commorabantur. Post diuisionem verò Prouinciarum, quamvis aliquandiù sine Collega prædicarent singuli, absit ta-men, quod suspicemur ex ea partitione ma-gnum inter eos firmatū fuisse Chaos, adeò ut deinceps nunquam licuerit alienos in-gredi terminos, nec patuerit indifferenter omnibus ad omnes Prouincias liber acces-sus: quomodo enim alias vnicum Paulum, (qui in hoc sane plus cæteris laborauit) oportuit & Romanam videre, vbi eidem tunc Euangelizauerat Petrus? quomodo idem optabat in Hispanias ire, quarum districtus obtigerat maiori Iacobo? quomodo idem ipse

ipſe à Ierusalem vsque ad Illyricum ingen
ti circuitu Gentes adjit, maximè per Græ-
ciam discurrens, vbi Andreæ incumbebat
Achaim, Græciamque erudire? qua deni-
que licentia Ephesi docuit, vbi Ioannis Eu-
gelistæ Metropolis erat? taceo alias Petri
peregrinationes, & excursus per Asiam,
Pontum, & Cappadociam, aliaque loca ex-
tra Italiam, quod idem alios Apostolos fe-
cisse indubium eſt, his enim tanquam vnius
domini ministri circuibant, ordinates Epis-
copos, & Ecclesias, congratulantes inuicem
de laboribus, ac fructu Comministrorum,
confortando, exhortandoq; fideles passim
conuersos, absque æmulatione, & impedimento,
quippè non suam, sed Christi glo-
riam querentes, tanquam indefessi coope-
ratores multiformis gratiæ Dei, promis-
cuèque discurrentes, ut se ferebat occasio.
Horum exemplo in Nouo etiam Orbe ci-
trà delectum, pacificè simul, ac fructuosè
haſtenus Euangeliū à diuersis diuersorū
statuum Religiosis in multis locis dissemini-
natum


14 De indiuisa Euang. prædic. &c.

natum est, magno Christianitatis iubilo, fi-
delium plausu, Ecclesiæ incremento, quæ
quantum dilatarit sua tentoria, in hac indi-
uifa, ac proindè Apostolica prædicationis
Euāgelicæ praxi hactenus experta est, nec
aliter huius rei aliam experiri cupit, vt po-
tè minus secura de tanto progressu, suppo-
sita (si fieret) diuisione.

V. Quod si adhuc ambiguum alicui
videri potest, num illæ promiscuæ prædi-
cationis indiuisiō ab Apostolis religiosè
obseruata ad succedentes etiam Prædica-
tores extendenda sit, vt potè qui Apostolicę
legationis illimitatę Majestati, neutiquā
sunt pares, nec proindè insolidum vniuersi
Mundi, aut proportionaliter vniuersæ ali-
cuius Regionis cura, ac Catechesi onerari,
ornarique merentur, legat illud Augustini
ad Hesychium epist. 80. quo eiusdem in-
stantiam diluit, qua Apostolicam prædica-
tionem secundum vaticinia Prophetarum
ad omnes Orbis plagas non pertigisse cau-
sabatur, cui hoc respondit Augustinus:

Quo-

Quoniam adhuc (inquit) sunt gentes, in quibus modo cœpit, & in quibus nondum cœpit, compleri, Verum tamen, nō utique hoc Apostolis mandatum est, tanquam ipsis solis, quibus tunc loquebatur, tantum munus fuerat impleturi, sed sicut eis solis, cum dixisset, Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem faculi, quod tamen eum vniuersa Ecclesia promissæ, qua alijs morientibus hic usque ad consummationem faculi futura est, quis non intelligat? &c. ita & opus conversionis vniuersi Mundi, quod ex magna parte per eos (videlicet Apostolos) peragendum fuit, à posteris seruabatur, Apostolica fedē operarios ad prædicandum continuè destinante.



CA-

CAPVT SECUNDVM.

*Natura Euangelica predicationis lubens
consortium legitimorum operario-
rum admittit.*

I.



D diuersas Euangelij ministerij excellentias expri-
mendas diuersis Symbolis vtitur , ac figuris diuina
Scriptura , in quibus illud
præcipuè admirādum occurrit , quod dum
singulæ singulas tam Sacrae Oeconomiae
dores sigillatim, diuisimque adumbrant, in
eo tamen conueniunt plerumque omnes,
quod communi Harmonia concordiam,
vnionem, ac indiuisam necessarij consortij
compagem in legitimè missis Prædicato-
ribus Euangelicis soleant commendare.

II. Visitatissima est in hoc Parabolarum
genere, ea quæ Euāgelij promulgationem
Agriculturæ comparat, siue hic semina-
tionis

tionis laborem accipias, siue virgultorum, arborumque pro plantationem, siue toties repetitam in sacra historia culturam vineæ à mari usque ad mare palmescens, siue quodlibet aliud ad rem villicam spectans, quod Ecclesiæ aut nascenti, aut transeunti aliunde accommodetur, teste enim Paulo, *Dei sumus Agricultura.. 1.Cor. 3.* Porro in huiusmodi Parabolæ discursu, quid occurrit frequentius vñanimi illo diuersorum operariorum consortio? Exierat quodam ipsem̄er, qui seminat seminare semen suum, verum ne citrā diuersorum consor- tium putaretur expectasse messem operis sui, mox commemorantur, non seruus, sed serui, qui ad superseminata *Inimici homi- nis* zizania euellenda se offerunt, ac à Pa- tre familias in oportuniora tempora colli- gendæ messis in horrea, faciendæque tritu- ræ referuantur. Alter Patronus vineæ (proh Deum immortalem) quam diuersos, quam dispare, quam multos, ex triujs, ex foro, ex campo confluere iussit in vineam suam,

C quo-

quorum alij primo crepusculo iam ab eo deprehendebantur vigiles, alij summo mane ad lucrum surrexerant, alij tota die videbantur stare otiosi, qui quidem omnes in promiscua vineæ cultura non inueniuntur rixati, nisi vbi denarij fulgor quorundam oculum nequam effecerat, inuidum-dumque indifferentis distributionis.

III. Contueamur mysticam Euangelij pro plantationem sub arcano arborum cultu designatam, & ecce occurrit Paulus gloriaribundus, quod ipse plantauerit, non dignatur rigantis consortium, cuius potius communè studium communicata laudis parte diligenter commemorat: *Ego, inquit, plantaui, Apollo rigauit,* i. Cor. 3. idque in eum finem inculcat, nè dissoluto collaborantium Catechistarum confortio, in varias Corinthij secederent diuisiones. Constat autem hoc loco Apostolum de prima fidei apud Corinthios annunciatione à se facta, in Domino gloriari, quo titulo hodieque præclaræ aliquot Religiones effulgent,

gent, quæ in certis Noui Orbis Prouincijs haetenus intactis primò fidem Christianā promulgarunt, patefacta cæteris via, qua & ipsæ priorum labori vel succedentes, vel accedentes rigarent quæ prius illæ planauerant, idest (exponente ibidem Angelico Præceptore) cooperentur, *ad modum irrigantis, qui aquam plantis exhibet, ut nutriantur, & crescant.* Quæ quidem accessio si nec Apollo illicita, nec Apostolo iniuria, nec teneris multumque indigentibus plantulis incommoda fuit, (vt verè non fuit) nam ex Act. 18. capite, Apollo feruens spiritu loquebatur, & docebat ea, quæ sunt I E S V, &c. vehementer enim Iudeos reuincebat, publicè ostendens per Scripturas esse Iesum Christum, & (ut adiungit S. Thomas) plurimum contulit ijs, qui considerunt; certè nunquam expediet moderationem eiusdem proplantationis agriculturam diuerso rigantium, plantantium, impinguantium, aut quomodocunque collaborantium consortio, præsertim in Noui

Orbis Regionibus spoliare.

IV. Extat & secunda Euangelice Oeconomiae figura in illo tam Euangelistis familiari Patrefamilias, diuersorum seruorum vtente opera (ex Luc.c. 13.) modo ad debiles, claudos, cœcos, per viarum compita conquirendos ad Cœnam Agni, vt impleatur domus, modò ad ejiciendum qui indignè irrepserat, modo ad instruendas filij nuptias, & amicorum conuocacionem, in quibus officijs nunquam vnius solius famuli obsequium commemorari deprehenditur. Imò cum ipse sit, qui in omni opere dat incrementum Deus, non tamen excludit, seu plantantem, seu rigantem, seu qualitercunque cooperantem, *Dei enim sumus adiutores*, inquit Apostolus i. Cor. 3: idque, *non augendo eius virtutem*, vt ibidē exponit S. Thomas, sed *obsequendo ministerialiter eius operationi*, *sicut minister in humanis dicitur sui Domini adiutor*. Quod si ergo prima, & suprema omnium rerum causa nullius auxilij indiga, non tamen digna-

dignatur secundarum causarum perpetuum
vbique confortium, qua fronte recusaret
Apostolicus Prædicator, seu minister aliorum
cooperantium auxilia tam sibi profi-
cua, immo tam necessaria? forsan idcirco etiam
Mundi Opifex, ac Rector ita creaturas co-
posuit, quod nihil ab unica dumtaxat cau-
sa produci possit cuncta consortia aliorum. Un-
de & Apol. 2. Cor. 6. *Adiuuantes*, inquit,
exhortamur, idest, (exponete Magistro An-
gelico) vos, nempè ministros Euangelij, Prae-
dicationibus, exemplis, & exhortationibus,
quasi dicat, praxis, ac modus exhortationis
nostræ sit in mutuo Præconum adiutorio,
vt dicitur Proverb. 18. *Frater qui adiuu-
tur à fratre, tamquam Ciuitas firma:* vt pro-
inde informis, ac penè monstruosa vide-
retur Euangelica prædicatio, quæ alicubi
ad unius dumtaxat generis ministros re-
stringeretur.

V. Elegans est & illa muruorum in
Euangelica ministrione officiorum ana-
logia, cum uniformi illa diuersorum in hu-
mano

mano corpore membrorum difformitate,
vbi non quodlibet cuilibet membro attribuitur obsequium singillatim, ac in solidū,
quantumuis vnumquodque aliquid de suo
afferat, quod alterum præstare nunquam
potuisset: vnde transferunt integrum no-
strī corporis systema robusti pedes, sed in
suum, totiusque hominis præcipitium, nisi
ab oculo dirigatur; miram vicissim oculus
omnium rerum varietatem homini pro-
ponit, sed non impunè, nisi in varijs va-
riorum casuum occursibus, aut sub tenero
palpebrarum umbraculo permittatur deli-
tescere, aut brachiorum appositione defen-
datur, ideoque non dicat manus pedi, aut
oculus brachio, *opera tua non indigeo*, nam
neque in mystico Christi corpore mem-
bra omnia eundem actum habent, nec Reli-
giones omnes eandem in omni spirituali
functione energiam, cum diuersis diuersas
gratias gratis datas distribuisse Pater Iumi-
num inueniatur, videlicet nō tantum pro-
pter decorem Corporis Christi, seorsim
mul-

multiformem diuersarum perfectionum varietatem in diuersis ostentantis; sed etiā ob charitatis compagem mutui adiutorij perpetua necessitate colligendam. Vnde, ut eruditè expendit Gregorius 33 Moral. cap.6. *Alius donum scientia accipit, nec tam
men ad virtutem mera abstinentia pertin-
git; aliis magna abstinentia virtute accingi-
tur, nec tamen in summa sapientie contem-
platione dilatatur; alius prophetia spiritu va-
let omnia futura pranoscere, sed tamen per
curationis gratiam non valet praesentis mo-
lestie mala subleuare; aliis per curationis
gratiam mala praesentis molestie subleuat,
sed tamen quia Prophetia spiritum non ha-
bet, quod sequatur, ignorat.* Mox causam
huius inæqualis distributionis adiungit:
Hoc autem mira nobiscum dispensatione agitur, ut per hoc quod alter habet, eis iste non habet, unus altero melior ostendatur, quatenus tanto ardenter ad humilitatem quisque proficiat, quanto ex bonis qua non habet, inferiorem se habentibus penset; sicque fit,

24 De individuali Euang. predicatione.

fit, ut dum ille in isto, atque hic in illo re-
spicit, quod admiratur distincta bona,
et ab altitudine elationis. Et ad studium
profectus ascendat, &c. En quantum in my-
stico corpore dissimiliter membrorum co-
ducat speciosum consortium; proinde non
infantem tantum, sed & matrem diuide-
ret, qui inter ipsa eius dissimilia membra
separationem in predicationis officio apud
Gentiles procuraret, maximè id vetante
Apostolica throno,

VI. Denique prodigiosa illa Ezechie-
lis visio c. 3. descripta, sub tanta animalium
ac facierum diuersitate, tanto mirabilius
Prædicatorum Euāgelicorum difformem
vnitatem commendat, quanto minus hu-
manæ imaginationi repræsentari potest,
quod de animalibus Homine, Boue, Leo-
ne, & Aquila subdatur: *quatuor facies uni.*
Quomodo enim nō nisi quatuor visæ fue-
runt facies, si singulis animalibus quatuor
erant facies? aut quomodo quatuor nume-
rantur ex facierum diuersitate animalia?

Si vnum

si vnum erat cui competitabant illæ quatuor? acutè Gregorius homil. 3. in Ezech.
Quia, inquit, Dominū nostrum Iesum Christum simul omnes cōcordes predicant; nam animalia concordia, seu in eodem corde communicantia, iam nō animalia sunt, sed animal, cum quodlibet suo proprio corde viuat. Pennæ insuper singulorum iungebantur alterius ad alterum: Verum quid Leoni, quid Boui, cum alienis pennis? erant pennati (dices) & ipsi, mutuoque proprias commiscebant plumas, acquiesco: sed quid pennato Boui, Leoni, Homini, cum pennis Aquilinis, quarum contactu, affrictu, cōsortio, absumi solēt cæteræ? an deplumabitur Leo ex tam arcta coniunctione? non est ista Catechetici cōsortij natura, sed potius iuncta sunt, ait Gregorius, *penna alterius ad alterum, quia omnis eorum virtus, omnisq; sapientia, qua cetera ceteros homines contemplationis sua volatu transcendunt, vicissim sibi in pace, atque unanimitate coniungunt;* unde *& iisdem suis Prædicatoribus veritas*

D dicit:

dicit; habete in vobis sal, & pacem habete inter vos . Penna ergo animalium alterius ad alteram coniungitur , quia sanctorum Prædicatorum virtus, atque sapientia vicissim sibi ex societate ac concordia sociantur. Penna autem alterius ab altero diuisa effet, si in hoc quod unusquisque in sapientia enolat, habere pacem cum altero recusaret.

VI. Quantum ergo cauendum Euan-gelicis Prædicatoribus, ne in noua tandem messe pennæ mysticorum animalium vnu-quam per cordium, corporumq; inutilem, priuatamq; separationem disiungantur, ne desinat Christiana omnium concordia diuersarum facierum concentrica vnitate diuinitus adūbrata: quod sicut hactenus nunquam in Ecclesia admissum est, ita & nullibi permitti expedit , vt alij alios operarios se mutuo excludat; idcirco siquidem (teste ibidem Gregorio) coniungebantur singulorum alæ per quatuor partes , quia cū illa animorum vniione in cunctis mudi regi-nibus prædicatores demonstrant, quicquid de

*de humanitate. quicquid de diuinitate nostri
Redemptoris sentiunt.*

VII. Est & illa plumatæ huius coniunctionis vtilitas, quam ibidem Propheta exprimit, dum narrat se audiuisse vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram, quæ concussione mutua, ibidē Gregorius virtutes sanctorum Prædicatorum significari insinuat, *qui inuicem se feriunt: in eo enim quod sanctorum mentes superna appetunt, consideratis inuicem alternis virtutibus excitantur, alia enim sua me percutit, qui ex ēplo sanctitatis propria me ad melius accēdit; Et alia mea vicissim animal ferio, si aliquando alteri opus bonū quod imitetur ostendo. Absit igitur à quocunq; Christiano pectore tam proficuam, tam Diuinæ menti consentaneam, tam culturæ Euangelicæ necessariam indiuisionem Euangeliorum Præconum, cuiuscunq; nouitiæ inuentionis imaginationem vnquam turban dam desiderare, cum ita prohibeat Ecclesiæ institutor quando sub villici typo inui-*

tat sponsam secum in villis commorari, nè agriculturæ mysticæ progressus dissoluto variorum operariorum consortio languescat, & qui in vno corpore plura membra, in vna domo varios Ministros, seu dispensatores tam abundantis, ac multiplicis gratiæ Christi constituit, sine dubio noluit cultores vineæ suæ vlibi ab inuicē separari, sed conserta potius tanta mysticarum personarum varietate, & cōspirantibus in vnū animalis systema sacrū quatuor vultibus, mutuam iussit foueri charitatem, & frequenti sociarum alarum plausu Catechistarum sedulitatem excitari.

CAPVT TERTIVM.

Culture immensitas, & Operariorum paucitas, promiscuam exigunt qualiumcunque Praconum operam.

I. **M**iseratus aliquando piissimus Salvator super turbam, quam videbat iacen-

iacentem, sicut ones non habentes Pastorem.
 (Marci 11.) Apostolos monuit, ut quandoquidem messis multa erat, operarij autem pauci, rogarent Dominum messis, ut mittat Operarios in messem suam, Marc. 9. siue ut alia litera habet, ut eyciat, ut nedum spontaneos, sed & inuitos quasi, aut domi desides ad tanti operis vastitatem impellat.

II. Sed cur ad augendum operariorum numerum preces Apostolorum exigit Christus? an ergo ipse fibi deinceps ministros plures vnico nutu conquerere non poterat? vel quis rogaret Dominum messis, quando Petrum, & Andream è nauicula, Matthæū à telonio, alias aliundè vltro per vnici verbuli secretam energiam citauit ad messem? *Auget porrò difficultatem* Luc. c. 10. qui post adlectos in Apostolici laboris societatem septuaginta alios Discipulos, illud à Domino prolatum narrat: *Rogate Dominū messis, ut mittat operarios;* ut forte sicut omnis Christi actio Discipulorum fuit instructio, ita & ista arcana pro Apostolis,

Apo-

Apostolicisque viris doctrinam continet, videlicet non tantum eos æquanimiter ferre debere, quod ipsis alij superinducantur Discipuli, ac in tāto quidem numero intra solam adhuc Iudæam, in qua iam tūc mittebantur bini, & bini ante faciem Saluatoris, non inquā cum indignatione, aut zelo recipienda erant sextuplicia plurium comministrorum consortia, sed etiam desiderare iubentur, ac solicitare potius vnde quaque numerum maiorem, ne forte vnicus duodenus Apostolorum cœtus his repentinis septuaginta Discipulorum auctus suppetijs, cæteris reiectis, iam se toti messi sufficere arbitraretur.

III. Nequaquam verò mihi persuaserim ullum extare hodie in illa vastissima Noui Orbis messe non ita pridem detecta Catholicon Præconum cœtum quidem se, vel in quacunque modica illarum Regionum parte præstare, quod Apostoli in latissimo Orbe præstiterunt, posse confidat, cū nulli hominū ordini, ita sicut ipsis omnia simul

gra-

gratiarum gratis datarum charismata vnitim collata sint, quin potius, quæ in illis olim superioribus vnta erant, nunc in inferioribus dispersa conspiciantur, vt unus in miraculoru fulminibus, alter ordo in sermonis tonitruo, esse in Prophetæ oraculis, aut generibus linguarum, ille in gratia curationum inueniatur admirabilis: vnde posteriori titulo hic Apostoloru decuerit spiritu rogare potius Dñm messis, ut operarios mittat, immò *vt ejiciat in messem suā*: quād optat *vt ejciantur*, quos ille subsidiarios in messem destinarat: nam cum (exponēte Hieronymo) *Messis multa populoru signet multitudinem, operarij pauci penuria Magistrorum*, utiq; *sicut spicati nostri agri multis messores desiderant* (inquit Theophilactus) *sed qui credituri erant innumerabiles, existentes multis Doctoribus indigebant*. Multi denique indigent, qui deinceps conuertuntur.

IV. Laxabat aliquando in stagno Genezareno Petrus sua retia in verbo Domini,
Luc. 5.

Luc. 5. nil de sociorū adiutrice opera sollicitus, quippe qui cum suis tota nocte laborans nihil cœperat, ac proindè etiam tunc non adeò multum se capturū putabat, cui extrahendo non sufficeret solus; nihilominus quia opportunè in eodem stagno ei de alterius quoque nauis societate prouisum fuerat, euentus docuit, quando inopinatae capturæ molestia prægrauati, seu ruptis penè retibus præ concluso multitudinis pondere, & inclinante in latus nauicula, socios in alia naui iuxta assidentes implorant, *vt venirent, & adiuuarent eos*: Et ne vel sic contentum fuisse Dominum putas, qui in omni ministerio suo copiosiorem semper exoptat plurium famulatum, cū impleuisserit piscibus ambas nauiculas, adhuc penè mergebatur (*vt notat textus*) nempè tertia insuper, & quarta etiam plurium auxiliariorum nauī opus fuerat, *vt citrā submersionis periculum, commodius, suauiusque traheretur ad littus tam prodigiosa tot piscium captura;* *Quid est, inquit Cyrilus in Cate-*

Catena, quod annuntiunt socijs, ut auxiliarentur eis? quia multi sequuntur Apostolorum labores.

V. Quare non decipiuntur Euangelici Prædicatores, si eubi in hac vel illa Provincia soli aliquandiu per totam noctem laborantes nihil cœperunt, adeoque socijs carere se posse confidunt, quandoque enim ita à Divina sapientia prouisum est, ut quæ sola nil cœperat nauicula, ad alterius præsentia (ne quis glorietur) iactu vnico multitudo nē pisciū cōcludat. Simile quidquā aduerit Glosa 1. Esdr. 8. ad illa verba, *Promouimus ergo à flumine* (stante quod traditionē doni gratuiti significet) *propalatā videlicet tessera Euangelicorū Prædicatorum*, qui bus dictum est, *Gratis accepisti, gratis date.* & subdit, *Fraternitatem quoque, cohortē religiosam nobis in auxilium vocamus, qua adiuti animas fidelium ad societatem electorum, & artem vita perfectioris, quasi vasa sancta ad templum Domini efficacius transferamus.* magnus aut̄ est profectus, nemp̄

E tunc

tunc cum auxiliares ad sunt copiæ sociorū,
qui in improvisis huiusmodi successibus
opem ferant; vnde idem Petrus iam pisca-
tor hominum factus opportunè è medio
sociorum consurgens Act. 2. similem iactū
pari etiam fortuna tentauit; nam *apposita-
funt in die illa anima circiter tria millia*:
aderant enim ceterorum Apostolorum op-
portunæ suppetiæ, vt essent qui conuersos
baptismo tingerent, qui articulatius cate-
chizarent rudiores, qui confirmarent ser-
monem Petri, denique qui apponenter tot
animatorum millia, & in littus extraherent,
quod vni Petro impossibile fuisset pro vni-
ca die, immò & pro multis sequentibus;
nam qui receperant sermonem eius, erant
*perseuerantes in doctrina Apostolorum, & in
communicatione fractionis panis, & in ora-
tionibus.* En variorum ministrorum in simili,
immò incōparabiliter nunc maiori mes-
se necessitatē, vt dum vnuſ conuertit, ca-
techizet alter, aliuſ baptizet, alij diuinam
Eucharistiam præbeant, alij ad studiū con-
tem-

templationis, ac orationis, exemplo & ore
Neophitos attrahant. Nempè ista est, quæ
in Dauide tantoperè commenidatur, rerum
diuinarum Prouidentia. 1. Paral. 16. 23. &
24. quando auxit numerum ministrorum,
ac Sacerdotum, ut posset (ait S. Thom.) *ma-*
gis populus expediri de consecr. dist. I c. I.
diuersæ enim sunt fidelis multitudinis (ma-
ximè recens conuersæ) necessitates, quibus
paucorum, & vnius classis Ministrorū quā-
tacunque industria, indefessusve labor suf-
ficere neutiquam potest. Cum mulier illa
Matt. 13. vniuersam massam sui furni com-
pendio fermentare voluit, accepto ferumen-
to *abscondit* illud in farina satis tribus, do-
nec fermentatum est totum: nam vt ibidem
annotauit Chrysostomus, *quod semel fer-*
mentatum est, fermentum rursus ad reliqua
efficitur, solertia iuuerat nō vnicī sati mix-
turam vniuersæ massæ inducere, nec enim
tantæ materiæ fermentadæ suffecisset vnius
mensuræ farina, modicumque fuisset si mo-
dium vnum adhibuisset prouida mulier, vt


E 2 intel-

intelligamus eos qui ab Ecclesia ad Gentium cōmassationem adhibentur, nō opertere vnius esse regulæ, vel instituti viros, sed è pluribus modijs, seu modis religiosorum vocationem fructuosius feligi (regulariter loquendo:) qui vniuersum Orbem, vbi opus est fermento Euangelij suauiter imbuant; Dixi, *regulariter loquendo*, scio n. quod aliquando initio nascentis Ecclesiaz, cum pauca bona mulieri suppeterent sata ad fermentandum, *duodecim homines qui fuerunt dispersi per Orbē* (ut loquitur Chrysostomus) *totam penē farinā Orbis fermentarunt*; Verumtamen id tunc in paruis Ecclesiaz principijs, inque Catechistarum penuria extraordinarium erat, adminiculum ordinis Gratiaz spectabat, sicut & illud quo rudes à rudente prosiliebant pescatores omnium Philosophorum Euangeliō resistentium superbiam contrituri, quod modo neutquam in exemplum trahi permititur, cum suppetant qui eloquijs mysticis erudití ad iustitiam erudiāt multos. Quare sicut

sicut processu temporum ipsimet Apostoli
mox ut potuerunt varios ibi adlegerunt
fermentationis Euangelicæ socios, quando
nempè ordinario deinceps cursu verbum
DEI prædicari posse intelligebant; ita &
id potius modernis Catechistis sequēdū
commendarunt, quod rebus iam constitutis
prouidè exercuerunt.

VI. Norunt qui militarem disciplinam
vel præceptis accurratè theoricis, vel offi-
cio exequuntur, quantus in exercitu defe-
ctus notari soleat, si is ex vnica dumtaxat
ratione compingatur; quia enim non vni-
co bellicæ functionis genere certatur, sed
varij congressuum modi victoriām pariūt,
periculosest, si desint alij qui à grauiori
conflictu ob intrepidam in acie constantiā
habentur celebres, alij qui ex propriæ na-
tionis genio velitationibus feliciter assue-
uerunt, alij ad stratagemmata, alij ad obsi-
dionum tolerantiam optimè reperiuntur,
alij demū pondere, alij agilitate vincunt:
Vnde cū Antiochi Regis numerosus exer-
citus

citus tanto armorum apparatu, ac varietate
 celebris Gr̄ecorum Vulgo pauorem incus-
 sisset, ingeniosè trepidationem ijs exemit
Quintius (ex Plutarch.in Apoph.) dicens;
Omnes Syri sunt. Non minoris crediderim
incommodi fore, sicuti in Euangelicorum
exercituū missionibus ad vnici dumtaxat
generis ordinisve Catechistas vniuersa ex-
peditio restringeretur, quantumcunq; illi
deconcolori numerosissimorum commilito-
nū multitudine pr̄e alijs possent gloriari,
nam vt visum est, non vnicō functionum
sacrarum genere agitur in obtinenda diui-
ni verbi victoria, non enim ita formidabit
diabolus vnicolores vnius vexilli quātoſ-
cunque milites, quantū terreri solet ex va-
riorum castrorum acie ordinata.



CA-

CAPUT QVARTVM.

*Unitati, decori, stabilitati Ecclesia in Nono
Orbe præsertim conservanda, necessaria
est Catechistarum indinisa vno.*

I. **G**rauis apud Isaiam cap. 22. expro-
batio describitur in Gentem He-
bræam mox ut in perfidia pœnam, factio-
nibus, ac diuisionibus intendere permitta-
fuerat: scissuras, inquit, *Civitatis David vi-
debitis, quia multiplicata sunt*; mox formæ
schismatis in domoru demolitione, & aqua-
rū ductu ænigmaticè exprimit: *Cōgregasti
aquas piscina inferioris, & domos Hierusalē
numerasti, & destruxisti domos ad muniē-
dum murum, & lacum fecisti inter duos
muros, & aquam piscina veteris, & non
aspexistis ad eum qui fecerat eam, & ope-
ratorem eius de longe non vidistis. Quasi di-
cat, sicut aqua de se ad nullā scissuram in-
clinatur, sed ybi cunque confluit, una fit, fa-
cilem-*

et itemq; admittit vnde cunque alluentium
riuorum mixturam: ita expediebat Hieru-
salem, piscinæ illi veteri non disiungi à la-
tu dupli muri interstitio, nō inquam de-
cebat id quod natura, quod usus antiquus,
quod is qui fecerat indiuisè coniunxerant
ad vnicæ perfectæ Reip formam, ac tutelā,
humano arbitrio in priuatum commodum
separari. Nec mysterio vacat, quod sub a-
quarum violento diaisarum typo Iudæorū
carpuntur insidiæ, nimirum aduertendum
erat ab Euagelicorum Præconum œcono-
mia, ne aquarum ab aquis diuortium insti-
tuerent, videlicet Provinciarum sibi diui-
siones fingendo, ac figendo limes, vbi isti
populi ab his, illi ab alijs Baptistis tingeren-
tur: in quo certè non suspicerent *ad eū, qui*
fecit eam, seu id, quo in perpetuæ unitatis
Symbolum voluit nostræ regenerationis
mysteria, in aqua exerceri.

II. Timebat id iam suo penè æuo Apo-
stolus 1. Corint. 1. quando ita sollicitè hor-
tatur Corinthios: *Non sint in vobis schis-*
mata:

mata: quod exponens Angelicus Doctor, ait: *Sunt autem propriè schismata, quando vel propter fidei diuersam confessionem, vel propter diuersas sententias de agendis, homines unius Collegij in diuersas separantur partes.* Prout nimirum Isaiae tempore dissidabant Hierosolimitani, quod malum quomodo caueretur in illa nouarum Prouinciarum, si qua deinceps diuisione fieri attaretur, non video: quot enim diuersorum Religiosorum domus derelictæ destruendæ essent ad firmandum murum perpetuæ diuisionis, cum primum illis ex hac noui Orbis Prouincia ad aliam portionem quæ illis obtigisset, excedere iniungeretur? Sed minimum istud est malorum indè nascentium; peius est quod cum hac diuisionis tetrarchicæ forma, nescio quid periculi de instituenda quoque fidei diuersa cōfessione sensim irrepereret. Non dubitabat Paulus, cum Corinthijs dicerent: *Ego sum Pauli, ego Apollo, &c.* exclamare, *Divisus est Christus?* Priuatum enim cōmodum (quod

F ynicum

vnicū instigabat ad schismata Corinthios, quodque (notāte ibidem Angelico Præceptore)causa est reliquarum vbiique diuisiōnum, quando, videlicet *vnusquisque bonum particulare quarit, pratermissō perfecto bono quod est bonum totius: & Nazianzeno teste oratione i. de pace,*) Schisma talis conditionis est, vt corpus Christi diuidat, atq; discerpatur, & tunicam indiuisam lacerare per scissores assequi conetur dæmon, *quod per eos qui Christum in Crucem sustulerint, perficere non posuerit.*

III. Iam verò nouimus cuiuscunque rei (præcipue verò Ecclesiæ) stabilitatem ex eiusdem unitate, seu indiuisione pefari clare. *Noſſi ne* (consolatrix Philosophia in Boetio 3. lib. proſa i i. & S. Th. i. p. q. 103. ar. 3.) *omne quod est, tam diu manere, atque subsistere, quam diu unum sit, sed interire, atque dissolui pariter, quando unum esse desiderit?* quo etiam fine angustum Regnum Iudeæ (ut aduertit Beda in Ioan.) quo minus validum fieret, per tetrarchias diuide-

re

re diabolus *procuraui*, scilicet in Iudaicæ perfidiæ vindictam (vt adiungit Gregor.) quia pro culpa perfidia dispergenda erat ambitione, diabolo suadente, & ad scissuras cōpellente. Et denique Saluator ipse, Luc. i i. *Quod [omne] Regnum in se diuisum desolabitur]* admonet; ea videlicet ratione, quod in Tetrarchiarum diuisione illud extintuare soleat Regulorum ambitio, vt quantum potest laxare studeat suorum limitum angustias pro regiminis amplificanda maiestate, adeoq; sensim occupatis vicinorum terminis, intestinā Regni misere diuisi collisionē excrudescit iniuria, & verificatur quod eadem occasione monuerat Chrysostomus in i. Cor. i. hom. 3. nempè, *integrum si immulta diuidatur, non modo non multa fiant, sed unum absunitur, hac enim est scismatis natura.* Enī igitur fructum quem Euangelicorum Prædicatorum disiunctio (si fieret) parturiret; diuideretur nempè, vt caderet nouellus eius Ecclesiæ Clerus, dumq; mulæ Provinciæ fierent, vnaquæque tandem

44. *De indiuisa Euang. predic. &c.*

communi fraternitatis destitura fulcro absumeretur. Nec minus huiusmodi partio noui Orbis suspectam redderet prædicationem, ministros causando, sed & male affecti obmurmurarent contra omnes Catechistas, non nisi priuato commodo, & vanæ ambitioni famulari, & re vera eiusmodi desideria diuisionis, non Apostolico, sed Apostatico spiritui communiter solere attribui edocemur, prout ei attribuit Cyrillus occasione verborum Christi: *Qui non colligit mecum, dispergit, Luc. i i.* vbi ita paraphrasticè discurrit: *Ego veni, ut filios Dei ab eo dispersos congregem; & ipse Sathanas cum mecum non sit, qua collegi, & saluavi, tentat dispergere.*

VI. Sed diceret fortasse aliquis: an non maior in nouellis istis Ecclesijs nitebit unitas, si singulæ Prouinciæ singulis Ordinibus Religiosorum distribuerentur excoleæ, vbi tum vniuscuiusque Præcones, seu Catechistæ sui vnicj Instituti conformitate degerent, essentque omnes vnius moris

in

in Domo, quām si vbiique omnium Ordinum tanta varietas (vt fit) admittatur?

V. Vtique hic fore singularum Prouinciarum vnitatem quis neget? sed nō maior vnitatis, atque perfectior acquireretur, si ex integro Regno vnica ciuitas, ex ciuitate vnica domus fieret, immo si domesticoru multitudo ad vnici dominij redigeretur simplicitatem, idem esset, ac si in eodē homine omnia membra, situ, officio, vsu, quātitate diuersa in vnici membra figurā transirent: verum vbi maneret ordinata cōmunitas? cum tamen talis desideretur vnitatis, qualis est in Ecclesia Christi, quæ ex varijs & diuersis membris compaginatur.

VI. Nimirum istud erat, quod in Socratis Rep. taxabat Aristot. in Polit. lib. I I crudite improbans eius consilium, quo suadebat vnicuique ciuitati ad summū conādum esse, vt quam maximè vna fieret; vnde fiebat tandem, vt Resp. in vnius domus angustias contraheretur, naturamque suam exueret: quod omnino in militante Christi Regno.

gno fieret, si alicubi ad vnicam Religiosā familiā vniuerſæ Fidei administratio coarctaretur cum exclusione aliarum.

VII. Verum quia videbatur excusari posse Socratis positio (vt annotat S. Tho.) quasi id solum intenderit, vt in Ciuitate nō quidem ea procuretur vnitas, quæ debita eam multitudine vacuaret; sed quæ multitudinem ipsam, expuncta tot graduum inclinationum, morum, ac institutorum dissimilitudine, simplicius conformaret; adhuc ab Aristotele reprehenditur, eo quod in ciuitate cum toto heterogeneo (non minus quam in humano corpore) ob varios fines, ac necessitates variam oportet singulorum esse membrorum cōditionem; vndē etiam in Ecclesiæ gubernatione [*Deus*] quoſdam dedit Apostolos, quoſdam Euangelistas, quoſdam Doctores, & Pastores ad adificationē Corporis Christi, Epheſ.4. Cuius ratio est, quia in Politica communitate aliter ad finem boni publici tēditur, quam vbi multi paris conditionis confluunt ad vnicum effectum

fectum exequendum: verbi causa, cū multi eandem nauim trahunt; vbi licet singulārium partialium causarum insufficientia cōcursu omnium suppleatur; nihilominus inter se sunt robore dissimiles, & efficacius operantur: at in vasto Reip. corpore variorum exercitiorū occurrit necessitas, vt proinde nequeant omnes esse mercatores, nec nautæ omnes, nec causidici, sed in mutuam operam singulæ singulis permittantur functiones: idē igitur Ecclesiæ cōcessum est, in qua *alijs datur gratia sanitatum, alijs genera linguarum, &c.* i. Cor. 12. quæ Charismatū non particulares dumtaxat Ministros, sed & varios Ministrorum ordines singillatim singula ornare specialiter inueniuntur, vt proinde nulla subsit ratio, eos vñquam per diueras Prouincias separare, aut limitata ab inuicem diuisione seiungere, nisi Arcadicam regiminis formam imitari libet, vbi singulæ familiæ seorsim habitabant.

VIII. Decorem porrò indiuisæ nouelæ Ecclesiæ videamus; certè inter ea orna-
menta

menta, ac dona, quibus Ecclesiam locupletauit Sponsus cum in Cœlos ascenderet, polymitam innocentis Ioseph tunicam nō minus mysterijs, quam coloribus variegatā adnumerat mellifluus Bernardus, sat pressè inhærens Pauli vestigijs, vbi is, mox cum dixerat: *Ascendens Christus in altum, &c. dedit dona hominibus, intulit, & quosdā quidem dedit Apostolos, quosdam verò Propteras*, nisi quod expressius ad nostrum propositum Bernardus id de multicolori variarum Religionum amictu Ecclesiā vndeque exornante, exponit. *Quae dona, inquit? ipsam tunicam suam inconsutilem, & desuper contextam per totum, sed polymitam ob multorum Ordinum qui in ea sunt multimodam distinctionem; inconsutile verò propter indiuisibilis Charitatis indiuividū unitatem. Quis me, inquit, separabit à Charitate Christi? vide quomodo polymitam, diuisiones, ait, gratiarum sunt, idem verò Dominus. Deinde (idem) diuersis enumeratis Charismatibus, tanquam varijs Tunica coloribus*

loribus, quibus constat esse polymitam, ut ostendat esse inconsutilem, desuper contextam per totū adiungit. Hoc autem operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult: Non ergo dividatur, sed totam, et integrā hereditario iure sortiatur Ecclesia, quia et de illa scripta est: Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate. Itaque diuersi diuersa accipientes dona, alius quidem sic, alius verò sic, sive Cluniacenses, sive Cistercienses, sive etiam Clerici Regulares, sive etiam laici fideles; OMNIS denique Ordo, omnis lingua, omnis sexus, omnis etas, omnis conditio, in omni loco, per omne tempus, in primo homine usq; ad nouissimum, omnes concurramus pariter in unam tunicam, et ex omnibus constet una, ex omnibus inquam una nam et si ex pluribus, et diuersis, una tamen est columbi mentis, alioquin nec ego solus, nec tu sine me, nec illa sine utroque sed simul omnes sumus illa una, si tamen sollicitissimus seruare unitatem spiritus in uincula pacis: non

G inquam

inquam tatum Ordo noster, aut solus uester ad illam pertinet unum, sed noster simul eis uester; nisi forte (quod absit) inuicem inuidentes, inuicem prouocantes, inuicem mordeamus, ut ad inuicem consumemur, ut sic non possit. Apostolus uni illa viro, cui desponit Virginem castam exhibere Christo. Bern. apol. ad Gulliel. Abbatem.

CAP V T Q V I N T V M.

Catholice Fidei veritas, atq; credibilitas, ex variorum Ordinum una habitantium, multiformi vocatione, facilius Infidelibus elucebit.



E Juliano Apostata narrat Gregor. Nazianz. orat. i. in eundem Julian. quod (ut suæ fœcæ aliquam apud Simpliciores Christianos requireret verisimilitudinem) omnem quam posuit Christianorum rituum similitudinem

stu-

studuit imitari, iniuncta suis non minori multiformium cæmoniarum varietate, quam ex Catholicorum idea impius versutè suffurabatur, adeò ut ideo meruerit *Catholicorum simia* ab eodem Nazianzeno appellari: tanti quippe vnicuique siue veræ, seu falsæ religioni interesse nouerat infamis Apostata, si quā plurimis diuersarū cæmoniarum actibus, seu totidem eius fidei signis protestatiis frequenter, ac multipliciter rudiori vulgo imprimeretur; quibus videlicet populus quasi perpetuò confricatus, nouorum mysteriorum persuasiones sibi fineret in animam usq; penetrare. Hinc factum est, vt nec inter Juliani assemblias decessent, qui precum alternatim concinendarum obseruarent formam, aderat sacrariorum usus, sediumq; partim altiorum, partim depressiorū, vt in nostris odæis, seu choro, iam tum moris erant, & similia, quæ prosequitur in Juliano Nazianzenus.

II. Multum equidem momenti adferunt ad arcana fidei nostræ Gentilium mē-

G 2 tibus

tibus imprimenda multiplices catholicorū ritus, seu totidem Hieroglyfica sacrorum mysteriorū, ac velut muta testimonia sinceri cultus, Augustino id testante in epist. 119. ad Ianuarium, vbi ait : *sunt eloquentia quadam doctrina salutaris, mouendo affectui discentium accommodata, à visibilibus ad inuisibilia, à corporalibus ad spiritualia, à temporalibus ad aeternā; vt proindè nulla subesse ratio possit, cur corū decora varietate, vllibi, seu antiqua, seu recens plātata Ecclesia mereatur spoliari, prout fieret, sicubi vnius dumtaxat religiosi ordinis ministri (reliquis ad alias prouincias amandatis) sacra administrarent. Constat enim non omnes omni instituto competere ceremonias, siue ecclesiasticum inspicias cultum, siue regularem propriarum sanctionum modū, ac praxim, cum ob vocationum, ac finium proximiorum diuersitatem, quod isti proximorum instructioni impendunt, alijs tacito arctioris vitæ suppleant exemplo, dum illi ieunant, isti psallunt, aut meditantur,*

dum

dum alij orant, alij pugnant, alij sua, & proximorum errata plorant, ac sua uioris disciplinæ rigore castigant: quæ variarum cæremoniarum, ac institutorū diuersitas, non id tantum operatur in populo, vt sic Ioseph tenerius à Patre dilectus (Christus inquam Saluator) eminus in sua tunica polymita agnoscatur: verum & secretas pro Infidelium cōuersione suggerit energias, his qui in Sole, & puluere manifestiū ad Paganismi euersionem præliatur. Nimirum rudis est, qui cœlum nocte sereniori intuens in tanta diuersissimarum stellarum numerositate solā tātū admiratur pulchritudinē, quasi soli ornatui seruirent astra, ideo, quia, quibus manibus, aut per quos canales omnia sublunaria nostra moueāt, adiuentque, non percipitur visu; ita qui statuū, seu contemplantium (quorum vélut stellarū tota conuersatio in cœlis est) seu agentium simul, qui videntur administratorij spiritus in auxilium eorum qui hæreditatē capiūt salutis (discrimen ex solo Ecclesiæ ornatu

ornatu metitur, profectò rem totam nō af-
sequitur, cum ad omnem actionem plura
principia influat quam influere videatur.

III. Optimè eam similitudinem nota-
uit Angelicus Doctor 22.q. 183.a. 2. in cor-
pore, ubi sacroru in Ecclesia statuum mul-
tiformem copiam, tam promotioni, quam
ornatui Ecclesiae deputat, ornatui quidem
ex eo quod sicut in rerum naturalium or-
dine, perfectio qua in Deo simpliciter, et uni-
formiter inuenitur, in uniuscitate creatura-
rum inueniri non poterat nisi difformiter,
et multipliciter: ita et plenitudo gratie, q̄ in
Christo sicut in capite adunatur, ad membra
eius diuersimode redundat, ad hoc quod cor-
pus Ecclesia sit perfectum. ibid. ad 2. Promo-
tioni vero, quia sicut natura nō facit p multa
quod potest facere per unum, ita et non
coarctat ad unum id ad quod multa requi-
runtur, secundum illud Apostoli 1. Cor. 10.
Si totum corpus oculus, ubi auditus? unde
et in Ecclesia qua est Corpus Christi, opor-
tuit membra diversificari secundum diuer-

sa

sa officia, status, & gradus, quodlibet enim
 ipsorum; etiam quod minimum agere vi-
 detur, multum prodest integro corpori, ac
 saltem cæteris plus officiosis subsidiariam
 operā nauat. Expertus nouerat Augustinus
 quantum ad instillandam suauius veritatē,
 vel ipsa quoque operosa psallentis chori
 conducant otia, quæ dulces ei fuere stimu-
 li ad dandum Christo nomen; rem ipse sic
 narrat: *Quantum, inquit lib. 8. conf. c. 6. &*
7. fleui in hymnis, & canticis tuis suauè for-
nantis Ecclesia tua vocibus commotus acri-
ter, voces ille influebant auribus meis, & eli-
quabatur veritas tua in cor meum. Non
 dissimili euēgu Paulus & Silas post diurnæ
 prædicationis labores, nocturnæ propter
 Christum clausuræ mancipati, cum nocte
 media (religioso omnino more) ad psallē-
 dum euigilassent, in vinculis, & custodia
 chorūm sibi dedicantes, ubi adorantes lau-
 dabant Deum, ex inopinato successu Præ-
 fectum carceris cum vniuersa domo eius
 Christo lucrati sunt. Act. 16. nimirum ne
 vel

vel huic etiam religioso mori nihil inesse
virium ad lucrandas Infideliū animas opi-
narentur; vnde grauiter August. in prolog.
super psalm. *Divinitus à Spiritu sancto id*
prouisum, qui videns homines ad delectatio-
nes huius vita magis inclinari quā ad vir-
tutis iter rectum erigi, delectabilibus modu-
lis cantilena suam doctrinam permiscuit, ut
dū suauitate carminis mulcetur auditus,
dominici sermonis pariter utilitas inse-
ratur.

IV. Verūm vt proprias ad rem redea-
mus; inter eas notas, ac symbola, quibus Ec-
clesiam catholicam ab omni hæreticorum
coniuratione, aut cæterorum infideliū con-
fusa illuuiie discernimus, ista non infirma
nec infima est; nimis rara eorū institutorū
pulchra in vnam fidem conspirans varie-
tas, quæ in suo multicolori sacrorum vexil-
lorum discrimine, dum vnicū cunctis emi-
nentiis Labarum viuificæ crucis pari con-
sésu certatim respicit, ingēti pauore quo-
libet inimicos crucis Christi perstringit, eo
ipso

ipso ostendens non esse humanum aut terrenum, quod tales, tantique terrenorum contemptores, vita, exemplo, ore praedicant: quo, quid efficacius ad persuadendam nouo Orbi Christiani dogmatis credibilitatem? Prosequitur hanc Ecclesiae veræ speciosam notam Augustinus (ad Manichæorum confusione) libro de moribus eccl. c. 3 i. Cænobitas varios recensendo, qui contemptis, atque desertis mundi huius illecebris in communem vitam castissimam, sanctissimamque congregati, et quod simul etatem agant, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nulla superbia tumidi, nulla peruvacia turbulenti, nulla inuidentia liudi, sed modesti, verecundi, et c. non solum à carnibus, et vino (subdit) abstinent, sed etiam ab his, quae tanto concitatius ventris, et gutturi provocant appetitum, et c. In Ecclesijs quoque diuinis laudes decantat, Psalmis, et Hymnis spiritualibus Deum laudando.

V. Nec dubitat Epiphanius lib. 3. contra haeres. tom. 2. ad finem, hanc statuum in

H sancta

58. De indiuisa Euang. pradic. &c.

sancta ubique Ecclesia varietatem contra
haereticos, seu proprium eius exigere cha-
racterem: *Sunt, inquit, & alia preminen-
tes in Ecclesia conuersationes, qua in eadem
S. Ecclesia Catolica seruatur, eorum inquam
qui ab omnibus carnibus abstinent, utuntur
autem ovis, & piscibus, alijs neque ovis utun-
tur, alijs piscibus solis, &c. alijs etiam à pane
abstinent, multi vero etiam humi dormiunt,
alijs neque calceamenta induunt, alijs saccum
gestat occultum, &c. plerique vero in psalmo-
dijs, & assiduis orationibus, lectionibusq; sa-
crarum scripturarum, & secessibus exercen-
tur. [Denique post cōplura similia cōcludit.]
Hic est character, & forma huius sancta Ec-
clesia, à lege, & Prophetis, Apostolisque, &
Euangelistis collectus, velut ex multis odori-
feris virgultis, ac medicamentis antidotus
bona ad salutem videntium preparata. lege
Cassian. collat. 14. c. 4. Videatur etiā Card.
Bellarminus tom. 4. in sua Prefat. de Mona-
chis, & lib. 2. c. 3. Nihil ergo ambigēdum,
quoniam illic illustrius præcedat fidei incremē-
tum,*

tum, vbi in variarum Religionum formosa
multiplicitate eius virtus, & Ecclesiarē mo-
res abūdantiū illucescunt, quām si pér for-
té diuīsa Christi tunica dissectis in distin-
ctas regiones lacinijs desinat polymita cō-
parere.

CAPUT SEXTVM.

*Ne recenter conuersis praecludatur ullibi
Religionis ingressus, expedit promiscue
sacros ordines in novo Orbe
habitat̄.*

I.



Sraelitis quondā ob impro-
uisam hominis cædem ali-
quando fugituris promit-
tebat Deus se locuna con-
stituturū quò se recipere
ad mortem euadendam: *constituam, inquit,
tibi locum, in quo fugere debeas* Exodi c. 21.
Verum vbi ad rem ventum est, scilicet di-
uisis iam Tribuum spatij, captataque pro-

H 2 missæ

missæ regionis possessione , non locus, sed sex loca indulgentur profugis , ne ad vnū conuolare constringerentur omnes, habiti- turi sic in promptu refugij propinquiore; immò ne qua fugientem moraretur trans- uadēdi nécessitas, præcipitur, vt de ipsis ur- bibus , quæ ad fugitiuorum subsidia separā- tur, tres sint trans Iordanem , & tres in- terra Chanaam, tām filijs Israel, quām ad- uenis, atque peregrinis. Num. 35. Leuit. 20. æqua scilicet partitione vtrique Iordanis ripæ prouisum fuerat , quantumuis vnam non nisi duæ Tribus cum dimidia inhabi- tarent, ac proinde minori refugiorum nu- mero viderentur indigere.

II. Non dubitarim dicere , sacra Reli- giosarum familiarū instituta , totidem esse Orbis refugia, quò se tutiùs quam vllibi re- cipiunt , qui inimiçi ad necem nos exqui- rentes, insidias effugare , ac persecutionem eludere proposuerunt; in qua quidē trium- phalis fuga probatissimo genere , nemo ta- men qui non ægrè ferat, si ad ynicā dumta-

xat

xat refugij ciuitate eius pia arctaretur intē
tio, vt fieret sicubi separatis inde alijs ordi-
nibus, vnicā sola religio confugientibus pa-
teret. Cum enim nō omnibus integrum sit
longiori tractu Iordanem transfretare, æ-
quiū erat vbique securioris refugij adesse
copiam, ne plurimos quos fuga saluare po-
terat; inimicus persecutor in difficillimis
longioris viæ anfractibus nouo astu præ-
occupet. Quid autem dicemus de ijs, quos
non Iordanis, non flumina; sed Oceani ab
Orbe nostro diuidunt? quorsū confugient
ipsi, cum perfectioris vitæ desiderio accen-
si, non nisi vnicam domi suæ conspexerint
religionem, cōplexionī suæ nō ita, vt quæ-
uis alia, congruentem? Doctè hanc diffi-
cultatem pōderat Card. Bellarminus tom.
4. de Monach. lib. 2. c. 3. Cum, inquit, prouis-
sum est omni hominum generi, ut nemo sit,
qui velit ad perfectionem tendere, & nō pos-
sit; varia n. sunt hominum ingenia, variae
propensiones, nec pares omnibus vires: unus
enim diligit solitudinem, alius gaudet fre-
quen-

quentia, unus libenter orat, alius libenter legit, aut operatur. Si ergo omnis Religio requireret solitudinem, vel omnis communio nem, & frequentiam; aut si omnis Religio abstinentiam a carnibus indiceret, vel nulla indiceret, &c. pauci admodum Religiosi esse possent; nunc autem in tanta varietate Religionum potest omnibus satisfieri. Paucissimi ergo in Orbe nouo (adolescente paulatim illuc Ecclesia) religiosum institutum amplecti possent, si constituta regionum divisione singulæ dumtaxat singulis Provincijs residuæ manerent Religiones: quo quidem casu non tantum vnicus Iordanis urbes refugij seiungeret, sed iuxta quamlibet Monastici refugij ciuitatem nouos circumduceret impedimentorum alueos, firmando terminos intestinæ diuisionis.

III. Cum Augustino receter ad fidē cōuerso cōpisset iam displicere quiequid agebatur in seculo, præ dulcedine Dei, & deore domus eius (ait Possidius in eius vita) magna cīfigebat calcar ad melioris vitæ normam

mam capessendam quod non vnam aduer-
tebat semitam in via Dei, videlicet, *in qua
alius sic, alius sic ibat*: vnde ipse conferens
æstus suos Simpliciano, selegit eum qui vi-
debatur aptus esse modus viuendi *sic affe-
cto ut ipse erat*. Quam eligendi solertia ele-
ganti planè complexus est Parænesi Petrus
Damianus, cum ex multiplici variorum in
Religione exercitiorum exemplari, perfe-
ctam quandam sanctioris vitæ ideam nos
exculpere admonet: *Videas, inquit in serm.
de S. Nicolao, qui est 59.* hunc sacris lectio-
nibus intendentem, illum incumbentem ora-
tionibus, hunc pro suis excessibus lachrymā-
tem, illum in DEI laudibus exultantem,
hunc vigilantem, ieiunatēm illum, & officia
pietatis sibi ad iniucem inuidere. Nocte con-
surgunt ad confitendum Deo, vespere, mane,
& meridie narrant, & annunciant laudem
eius, & omnis illorum sedulitas in orbem
diuini rotatur obsequij. En exemplar, audi
imitandi modum: *Curre, inquit, per omnes,*
curre per singulos, & de vniuersis, & singu-
lis.

*lis fac sarcinam tuam formā viuendi. Ve-
rum quam collegoris sarcinam , vbi vnius
tantum instituti haberetur ratio , & vbi nō
nisi vnica obijceretur sibi forma religiosè
viuendi? vbi non nisi vnum adest quod eli-
gitur, quid comportatur? fateor quamlibet
cuiusuis instituti formulam mereri, vt eam
fideles imitentur,vbique sanctè,vbique se-
curè viuitur, viaque regia itur: verum non
omnes capiunt æqualiter verbum istud. In-
sinuat inter alia Epiphanius (lib. 3. cōra hæ-
refes to. 2.) Religiosam vitā suis professio-
ribus à Deo præparatam in antitodium , ac
salubrem prioris vitæ , ac prauarum incli-
nationum medicinā , quis verò vnam om-
nibus indifferenter suaserit medicinam ?
Audierat iam Augustinus Ambrosium po-
tentι quotidianæ declamationis tonitruo
ad vitam meliorem exhortantem , viderat
exempla seruorum Dei, quos aliquādo di-
uina, & misericors Cœli vocatio de mor-
tuis viuos fecerat , & quamuis sic mouere-
tur aliquantulum ad seriam cōuerisionem,
expe-*

experiens in illo sagittas acutas, in his tanquam carbones vastatores (lib. 8. conf. cap. 6. & 8.) nihilominus vnicum adhuc desiderabatur emortui Antonij exemplum ad heroicam ancipitis animi resolutionē; expectabatur inquam non Prædicatoris, sed Eremicolaे speculum, quod Augustino simul, ac semel prioris vitæ pudorem, horroremq; incuteret, & eiusdem eximeret amorem; cum pudibūdus audita Antonij fama exclamaret: *Surgunt indocti, et cælum rapiunt, et nos in doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne, et sanguine.* (Possid. in vita eiusdem, & August. loc. cit.) Successit idem duobus illis (quos Augustinus commemorat) Palatinis, qui eò vsque nullo Religiosorum exemplo ad mundi contemptum adducti fuerant, donec fortè fortuna in eiusdem vitæ historiam incidissent, cuius exemplo ipsorum gustui magis idoneo ad imitandam talis instituti austerritatē, exarserunt. Itaque si vna Religio, aut exemplaris vita hunc aut illum non trahit

ad frugem meliorem, trahet altera, cum in illa reluxerit aliquid, quod in altera non erat obuiū, & cui hæc medicina seculi nau-seam non induxerit, suadet altera, dūmo-do per longinquam diuisionem non pro-hibeatur.

IV. Accedit, quod sicubi inter diuer-sos variarum Religionum Catechistas ten-deretur funiculus distributionis, ac Prouinciarum tetrarchica diuisio coram infideliū oculis compareret, periculum foret, ne vel ab ipso Religiosorum secum permanentiū exemplo Religiosæ vitæ conciperent hor-rorem, suspicando eos, quantumvis terre-norum contemptum iactent, & communē prædicent vitam, nihil tamen magis quam proprium, exclusis alijs comministris sibi procurare, immò cum hoc inter tempora-lia, ac spiritualia bona discrimen sit, quod illa, ut materia dimēsionibus cōcreta, inte-gra simul à multis pacificè possideri non possint, eò quod à multis participata absu-mantur, ista verò tantò pérfectiùs possideā-

tur

tur à singulis quanto diffunduntur in pluribus, parū deinceps Religionis inesse suis ministris existimarent Neophiti , quando eos viderent in spirituali nouorum populorum hæreditate, non secus ac in quacunque temporali , ac seculari possessione moliri diuisiones, proprietatem ambire, terrenum fruendi morem sectari, & suum quærere , qua opinione de religiosis concepta, vix aliquid ijs in eorum statu excellens aut admirabile videretur , quod non pigeret imitari .

V. Quando primus nascentis Ecclesiæ manipulus , auditio Petri sermone, visa tot Fratrum concordia,intellecta eorum instituti ratione , deprehēderat eos neutiquam terrena concupiscere , sed quæ gratis acceperant gratis dare; vtro accurrebant certatim omnes, possessionibus suis, ac vitæ seculari sub ipsis sacri Baptismi lymphis renunciaturi , quæque seculariter possederant, ad Apostolorum deferebant pedes , vt potè iā securi , quod ea Apostoli manibus exci-

I 2 pere

pere deditarentur, tām ab omni proprietatis cupiditate alieni, eratque *multitudinis credentium cor unū*, & *anima una in Domino*. Quin & Apostoli cum suis habebant gratiam ad omnem plebem, Dominus autē augebat quod salui fiebant quotidie in idipsum: Adeo in primulis Christianis profecit concordia, & communis societatis pacificum exemplum, confluentibus vndequaq; ad sublimis perfectionis statū profitedum.

VI. Si ergo contrariorū contrariæ sunt causæ, timēdum omnino foret, ne mox vbi Euangelicorum Prædicatorum promiscua multitudo ab illa primæua Apostolorum concordia, ac spiritus vnitate videretur discessisse; cunctos inuaderet horror Religiose conuersationis, aut non nisi ad ditiones potētores, meliorisque Prouinciarū possessione feliores Catechistas accessus fieret, non secundum institutorem, sed iuxta corporalis commodi terrenum delectum; quippe quod vidissent Neophiti ipsos metū Præcones, abiecta spiritus vnitate proprium

prium commodum ex diuisione quæsiſſe, nam vt Angelicus Præceptor affirmat 2. 2.q. 3 2.a. 2.ad 4.aliquis ab unitate spiritus discedit, dum quarit quæ ſibi ſunt propria.

CAPVT SEPTIMVM.

Intra ipsas Infidelium Regiones, oſtium Euangeliū unde quaque liberum eſſe oportet, ac patulum mutuò omnium Catechistarum commeatui.

I.



Rodigiosum illorum quatuor Animalium incessum descripturus Ezechiel c. i. quamquā iam dixerat, quod reuertebantur cum ambularent, mox tamen pauculis verbis interieſtis fatetur, quod animalia ibant, & reuertebantur in ſimilitudinē fulguris coruſcantis. Difficilis foret huius apparentis oppositionis compositio, nēpè quod reuerti potue-

tuerint, simulque non reuerti animalia, nisi intelligamus fuisse istis animalibus genua ad omnem partem flexilia, quæque liberiori vertebra huc illuc, antrorum retrorsum flecti potuerint, nedum redirent, aut retrocederent animalia, viderentur reuerti aut se vertere ad regredieendum; cum enim tam retro, quam ante haberent facies, nulli tergum obuertere, eundo, redeundoq; cogebantur: & sicut in incessu cum impetu spiritus gradiebantur, sic in regressu, ne quod ea tardare obstaculum posset, reuertebantur instar fulguris coruscantis. Multa horum animalium mysteria in Euangelicis Prædicatoribus exprimi vidimus supra (ex Gregorio) nec deesse censendum est & illud tam pulchris pedibus Evangelizantium pacem, quin quaqueuersus flexilia habeant genua, ac facies singuli cuius orbis parti correspondentes, ut ubi impetus spiritus fuerint gradiantur, nec reuertantur ipsis cum redeunt, cù enim reuerti propriè sit terga vertere, neutiquā reuerti censetur

sentur Euangelij Præcones , quando iuxta Christi præceptum , dum eos persequuntur in vna ciuitate,fugiunt in aliam ; verumtamen dum aliquando compelluntur valido persecutionum impetu nonnihil retrocedere,ac Tyrannorū furores ad tempus declinare , iniquum esset, si quod eis obstaculum ab ipsissimis obijceretur Christianis,cū *fulguri coruscanti* (quales ipsi in huiusmodi recursibus describuntur) ex suæ naturæ merito vbiique pateat ostium,nec vñquam huic vni sollicita fuerit natura obstaculum præparare.

II. Iam verò sicubi in noui Orbis Provincijs inter religiosos Euangelij Præcones magnum diuisionis firmaretur Chaos, vt alijs ad alios accedere non liceret, certè nec ostium singulis semper animalibus patet , quò graderentur secundum impetū Apostolici spiritus,nec reuertendo ex persecutionum tempestatibus,locum vbiique citrà obstaculum instar *fulminis coruscantis*,prout ijs deberetur,inuenirent. Dicam
aper-

apertius : si indulta hac nouarum Prouinciarū partitione, huc illuc veteres iuberentur aliquando migrare coloni ex agro quē haetenus promiscuē coluerunt & incoluerunt; quatenus cum vni in solidū Religioni cederent, incertum adhuc esset, num in Prouincia ad quam electi tenderent, ostium suæ prædicationi inueniret apertum, quod ipsis alibi tanto iam tempore feliciter patuerat : narrent pericula ista, qui hoc mare nauigarūt, quam difficilis plurium barbararum gentium sit aditus, ad quos aliquādo pauculi operarij, post variè tentatum accessum, post longa morarum tædia, temporisque iacturam, demum dissimilato habitu, occasione legationum, aut aliàs mercatoribus nautisue commixti, per summa discrimina vix penetrarūt: discrimina dico, nō quod martyrium tales expauescāt, sed quia eo nimis cito obtento quandoq, primaria sua frustrantur intentione. At demus eos admitti facillimè, iamque in ipsam quoque Regiam impunè penetrare, fidei semina

vix iacta cum ingenti fœnore metere , ac
Domini horreum quotidianis manipulis
onerare : quid fieret cū ex his lætis succe-
sibus excitata diaboli inuidia , turbido
Aqui lone idolorum cultores in diram ex-
ciuerit persecutionem ? cum vnico gladij
rotatu illic totius Euangelici ministerij tē-
raretur excidium , prout in illa Catechista-
rum paucitate nimis facile contingere :
quorū fugerent quibus tunc nondū ex-
pedit exponere iugulum ? redibunt ad re-
gionem quam inhabitabant antea ? sed fir-
matum inuenient Chaos acerba diuisionis
lege , ne quis terminos contingat alienos :
clausum est ostium , commeare hinc inde
de ciuitate in ciuitatem non permititur :
quid facient ? instabit interim hinc crue-
rus persecutor , obstat inde zelotypus suæ
portionis inseffor , hic nè refugium , ille nè
effugium detur expostulato ad martyriū ,
& vtrum horū dicemus crudeliorem ? non
enim persuadere mihi possum , quòd quæ-
uis particularis Religio facilis futura esset ,

K vt

vt prouinciam suam sibi sorte datam permitteret ab alijs aliundē eiectis denuò populari, cum ea divisionis sit natura, vt vbi proprium cuique detulit, communioris boni curam vehementer euacuet.

III. Actum erat de Pauli fructuosissima industria Act. 16. cū Thessalonica Berōem, Beroe Athenas fugeret iactatus persecutionum procellis, nisi portum vbiique suū, ac ostiū apud frātres cooperarios inuenisset, eò quod nemini adhuc divisionis idea in mentē venerat, quin potius idem testatur Corinthijs. 2. Cor. 1. parū sibi nonnū quā profuisse patētis ostij optata libertate, cum auxiliarijs suorū copijs defructuabatur. *Cum venisssem (inquit) T̄ roadem, prōpter Evangelium Christi, & ostium mihi apertū esset in Domino, non habui requirem spiritui meo, sò quod non inuenierim T̄ iūm fratrem meum, sed valefaciens eis profectus sum in Macedonia. Nolebat enim vbi sibi patere videbat ostium Apostolus, sine collega laborare, multò minus vero ostium sibi patulum.*

tulum alijs claudi; ex una parte ait S. Thomas ibidem lectione 11. *Imminebat Apostolo ijs prædicare qui parati erant excipere fidem Christi, ex alia parte incubebat ei restituere aduersarijs qui imminebant: & quia nō poterat ipse solus, angustiabatur de absentia Titi qui institisset prædicationi, & conuersioni bonorum, & ipse Apostolus restitisset aduersarijs. Cum verò tā insignis ei cooperarius deesset, aliò migrare cōpulsus est, vbi multorum subsidij solebat adiuari. Similiter cū quereretur, ijsdem Corinthijs suis dicens 1. Cor. 16. Ostium mihi apertum est magnum, & euidentis, & aduersarij multi; mox de auxiliaribus copijs soliditus, Timotheum cum alijs aliquot fidelissimis comministris Ephesum adduci ad se postulat, Expecto n. illum, inquit, cum fratribus, quin etiam propterea à fidis sibi Corinthijs stipari voluit, quādo ad nouas Provincias fuerat profecturus, ut vos, inquit, me deducatis quocūque iero. Tantis insigni Apostolo supperijs opus erat, etiam ostio*

K 2 vbiq;

vbiq; iam aperto propter aduersarios multos, *Magnum enim ostium*, inquit Chrysostomus Homil. 43. Et ob id aduersarij multi, quia magna fides, ex quo magnus, et latus ad eam introitus: ostium magnum, quia multi ad recipiemad fidem parati sunt, proinde ampla iam mihi feruerescetibus adhuc ad audiendam fidei prædicationem auditorum animis via patet, et propterea diabolus resistebat, posteaquam plures iam à se videret deficere, indè aduersarij multi; nam exponente Anselmo (vel quisquis sit auctor) *Quanto idonei inueniebantur ad fidem, tanto magis insurgebant qui Zelarentur, contradicentes.* Ut quid ergo per diuinam clementiam Euangelicis Prædicatoribus etiam modò in Orbe nouo de magno ostio prouisū eset, si non permitteretur integrū omnibus promiscue per illud commeare? in magno ostio pressuræ nullæ sunt, cum ideo magna pateant ostia, ut compatiantur multos: immò patente magno ostio, magna simul occurrere solet aduersariorum multitudo,

non

non vnica religiosi cœtus cohorte, sed iū-
ctis plurium copijs per alternam persecu-
tionū tolerantia debellanda : nonnunquā,
.n.accidit, quod in hac, vel illa regione, ista
non illa ad necē exquiratur, religio ista in-
stitisset prædicationi, vt proinde vna tātis-
per apud alterā possit à furore persecutoris
occultari (Catechistarū.n.familiarū acrius
illa, cautius ista procedit) aut si cōe indica-
tur excidiū ēt reliquis plures inuenientur
domestici fidei , ac familiares secreti in ea
regione, in qua plurium Religionum suda-
bant Catechistæ , apud quos liceat securius
occultari : denique si in duabus, aut tribus
ad inuicem cohærentibus Prouincijs post
diuisionem signo dato, simul repentina ex-
ardesceret persecutio Barbarorum, videre-
turq; his Catechistis ad declinandam ho-
stilem rabiem sibi magis opportunam esse
proximam illam Prouinciam, ad quam con-
fugient; quos obsecro illic inuenient fami-
liares? quos spirituales filios, à quibus agni-
ti recipiantur, occultentur, foueantur? ma-

ximè

ximè cum pauci hi qui forent domestici religionis Christianæ, iam à suis itidē paucis Catechistis inuenirentur præoccupati, ita ut angustum pallium vtrosq; non posset operire.

IV. Latet insuper & aliud Evangelici ostij pessulum sub tetrarchicæ illius diuisionis (si fieret) prætextu; nempe si cuius eorum Ordinum qui nūc in vastissimis Indianum Imperijs laborant, sua assignaretur Prouincia in solidum, ea lege, ut alter alterius limites deinceps non contingeret, nec nouos intra suum sinum admittere teneretur colonos præter suos; quid fieret de quorundam aliorum institutorum viris Apostolicis, qui nondū hactenus descenderunt mare in nauibus, facturi, & ipsi operationes in aquis multis? quid de illis Ordinibus, qui licet olim insignem quoq; in ea messe ante omnes nauarint operam, modò tamen actu illic non extant? vbi recipientur hi cū reuerti, illi cum accedere libuerit? clausū inuenient ostium sibi, vbi alij diuisionis iu-

re

re Prouincias iam factas sibi proprias zelosè præoccuparunt: vacui ergo sine manipulis remeare cogentur ad propria, frustrati compellentur remetiri Oceanum, quem per tot pericula præuâlente Apostolici spiritus Subsolano emensi fuerât: aut si perstiterint, aliorsù velificadū foret peregrinis, incognitis, inexpertis, quò cæteri Tetrarchæ nondum pertigerunt, nouisq; fermè illis restabit detegendus Orbis, quò pergant Euangeliū annunciaturi, quò cum appulerint, vnde exordientur prædicatio-
nis relam? quis eos de itineribus, de gentis
ïndole, ac moribus, de lingua, de necessa-
rijs instruet? inter quos mercatores mixti
latitabunt interim, dum tēpus prædicationi
opportunum, dum Interpretum necessariā
operam, dum incolarum nonnullum vsum
ac praxim expectant? Multis omnino sub-
sidijs opus est, vbi nunquam adhuc Euan-
gelij tuba infonuit, vbi nondum annūcia-
tus est Christus; nec omnium ars est, instar
sapientis architecti vanè fundamentū po-
nere:

niere. Quantò satius est cōplete Syon, narrando in turribus eius, ac ita distribuere domos eius, vt inde multiplicatis diuersarum domorum familijs religiosis, enaretur vltterius in progenie altera, & ex vna Provinciā aut Regionē pluribus variorum Ordinum satis fermentata procedat ad alterā, donec fermentatum sit totum. Non mereatur alligari verbum DEI, neque constringi in limites, siquidem (testante Chrysologo serm. 132.) *P̄d̄c̄t̄o d̄ta ēt̄ n̄o v̄ni, sed ōib̄s, C̄h̄rist̄us n̄o p̄o v̄no, n̄ēc ad v̄nū, sed ad om̄nes, & pro omnib̄s v̄nit̄, ut redinTEGRARET om̄nes in vnum solum bonū, solum iucundum, iuxta illud: Ecce quām bonum, & quām iucundū habitare fratres in vnu, quia D̄E O non ēst accepta singularitas, sed unitas.*

V. Denique si vñquam commodiori Gentium conuerioni conductura eſt illa Prouinciarum diuīſio, illa inquā Religiosarum Familiarū noui Orbis in partes diuinctio, ac segregatio; haud dubiē eadem
lege

lege opus fuerit, & portus ijs diuidere, aliāque alijs denuò iniungere lineam nauigationis, tractusque etiam propter ipsum omnibus communem Oceanum interseptionis funiculo velit quis id agere, non ut veloces in impetu spiritus gradiantur euāgelij præcones per cōpendia euāgeliizantes, sed ut longis deinceps ambagibus suū, vbi intrare liceat portum inquirant, qui nō nisi ad suam Prouinciam commeare permittuntur: Si. n. nauigatio propter portum est, portus própter Religionis incolatū, necesse fuerit diuiso isto diuidi, & reliquum, quod negotiū prius congruū expressis tūc causis, modo huic tépori minimè congruū esse animaduertit è suprema Ecclesiæ specula fel. record. Paulus Papa V. cùm ad instantiā Philippi III. Regis Catholici Orientalium Indiarum, ac finitimi Orbis nauigationem omnibus Euāgelij Ministris indulxit, liberam etiam præter Lusitanæ lineam, insuper antiquiori (licet tunc expedienti) prædecessorum Pontificum decreto reuo-

L cato,

cato , eò quòd deinceps in tanta Operario-
rum copia, huiusmodi restrictio profectū
Euangelij (vti Bulla meminit) multarum
opera indifferenter indigētis, videretur im-
pedire:& iā D.N.Vrbani VIII.calculo om-
nibus legitimè missis Euāgelij præconibus
cōmuniter,& indiuīsim ostiū prædicationis
apertum est,omnisq; conatus sit irritus , si
diuisionem somniaret , quod decretum in
fine apponetur opusculi.

CAPVT OCTAVVM.

*Promiscua Euangelicorum præconum,
opera minuit barbare persecu-
tionis operationes.*

- I. 
- A semper crescētis alicubi
Euangelij sors diuina fuit;
& fructuosæ prædicationis
appendix , vt quantum ho-
stibas terrorē dabat inui-
lata Christianorum vnitas, rāntundem eos
in

in atrocem armaret persecutionem minima quæ inter eos oriri videbatur diuisio, adeò ut persecutor, cum nullum alium suæ crudelitati obducere colorem posset, eò captata, vel ficta occasione confugeret, se homines seditiosos, pacis turbatores, ac litium textores ad emoliendam Reip. perniciem exagitare. Mira inter Apostolos elucebat concordia, quādo nēc animis vñquam, nec corporibus ab inuicem diuisi: erant vñanimititer omnes in porticu Salomonis, Act. 9. vbi mox Scriptura subinfert: *Caterorum autem nemo audebat se coniungere illis, sed magnificabat eos populus, magis autem augebatur credatiū in Dño multitudo virorū,* &c. Sic nō ostensa tantæ vñanimitatis cōpagē, infidelibus reuerentiaz, fidelibus amori erant simul cohabitantes Apostoli, securiusq; sine omni persecutionis metu aliquā tisper degebant. Simile quidpiam suo æuo in Romana Gentilitate notauerat Tertullianus Apolog. 39. nimirum, non omnino Christianorum concordia apud ipsos etiā

L 2 per-

persecutores sua caruisse veneratione, sic n.
mussitantes introducit Ethnicos : *vide ut
inuicem se diligunt, pro alterutro mori sunt
parati.*

II. At verò quamprimum vigili persecutoris oculo quodlibet modicum occurrit in Christianorū actionibus, quod Reip. diuisionem, ciuilis vnitatis scissuram, Politicæ secretum studiū præferre videat, mox in ferrum, flammisq; erumpit parturiens idolatriæ furor, cui ad persecutionē satis est innoxium coetum fidelis Ecclesiæ de sola imagine, aut vmbra tentati damni publici posse accusari, sic prima liuetium Iudæorum in Apostolos colorabatur persecutio, sic pleraque deinceps aliorum aduersariorum in eos excitata odia, publiceq; seditiones, quas rude vulgus persequeretur vna hac præsonante proclamatoris voce: *bi sunt, qui urbem concitant, &c. hic venerunt,* &c. Act. 17-hi omnes contra decreta Cæfaris faciunt Regem alium; nam, vt notat Chrysost. hom. 24. ad Rom: plurima tunc tem-

temporis circumferebatur fama, traducens Apostolos veluti seditiosos, rerumque no- uatores, qui omnia ad euertendas leges cō munes, & facerent, & docerent. Eundem contra sui temporis Christianos conceptū scrupulum, Romano Senatui eximere ni- tebatur Tertullianus, ita discurrēs in Apo- log. cap. 34. *Proinde nec paulò lenius inter licias factio[n]es sectam istam deputari oportebat, à qua nihil tale committitur quale de illicitis factio[n]ibus timeri solet; nisi fallor, prohibendarum factio[n]um causa de prouidentia constat, ac modeſtia publica, ne ciuitas in partes scinderetur, qua res facile comitias, consilia, curiosas conciones, spectacula etiam amulis studiorum vestrorum compulsioni- bus inquietaret, cum iam, & in quatu habe- re cœpissent venale, & mercenaria homines violētia sua operam.* At enim nobis ab omni gloria, & dignitatis ardore frigentibus nul- la est necessitas cœtus, nulla magis res aliena quam publica, quæ paulò clarius in scholio reddit eruditissimus Pamelius hoc sensu.

Tan-

Tantum abest, ut Religio Christiana Politiam vestram cuerat, ut Christianorum, quam dicitis sectā admittere potius debeatis, & inter vestras honestas factiones annumerare, cum nihil profiteatur, vel in se contineat, quod vestram politiam turbare possit: sectarum enim collegia, vel cætus tunc prudenti Magistratum consilio inhiberi solēt, cum in contrarias partes ciuitates fecant, maximè ubi homines sunt præpotentes, aut sapientes, ut cuique maior est vis opum, & terrena sapientia plures adduci possunt ad potentiores, & sagaciorem partem sequendam; at Christiana res, cum nulla auaritia, vel ambitione exastuet, restat ut ab eo nihil timeri possit; nam quomodo in Senatu, vel in Cōcione tumultuabitur, vel cætum sibi peculiarem contra politiam affirmabit, qua nullam aliam rem communem agnoscat, quam mundum, & quod maius est publicam omnium salutem, cœlorum regnum, cœlestes non terrestres diuitias ambiendo, non nominis fastum, sed publicam gloriam qua DEI est anhelando?

Nescio

III. Nescio si quid modò discursus iste Tertulliani ad persuadēdam Barbaro persecutori Christianæ Religionis innocentia valiturus esset , si præter omnē domesticæ concordiæ speciem videre (quod absit) cōtingeret Gentiles nouam hanc (quam dicunt) sectā vltro dissilire in partes , ac Provinciarum diuisione instituta , aut non velle , aut non posse diutius cohabitare . Non timeat quilibet illarum Regionum Dynasta quicquam Reip. suæ quamdiu quietam Euangelicorum Ministrorum indolem , pacificamque viderit contesserationem : dormiat licet inibi sollicita Politicorum zelotypia , dū Catechistę semoto omni suspectæ diuisionis , & appropriationis affectu , se mutuo citra scissuram complectuntur ; sed vbi integræ suæ ditionis secretissimā ab ijs institui partitionem audituri essent , quid nō suspicabuntur ? quid nō cogitabūt periculi & insidiarū ? Interimi non cessabit frequēs illas obnauigare oras Caluinista , siue Anglus , siue Hollandus , quodque iam cœpit suade-

suadere , persuadebit (vt alibi fecit) missos
nimirum ex Europa Catechistas vni Re-
gnorū illorū coronæ insidiari ac Imperio,
factiosam sub religionis velo religionem
quærere , iamque vniuersum diuisisse Re-
gnum, ac vndequaque vinxisse totam di-
tionem collocatis optimè insidiis , vnde si-
gno dato Rempublicam Europæo cuius
Principi turpiter prodant. Quo perduelliū
classico quid efficacius ad armandam bar-
baram nationem in Euangelicorum Prædi-
catorum innoxiam turbam, quā inopinatō
inueniunt diuisisse sibi per Tetrarchias Im-
perium , disiunctis (quæ hactenus promis-
cuæ degebāt) familijs facris? veluti castrē-
ses dicerent in Regno metiri stationes , af-
signari cuique instituto suum districtum,
in quo ad occasiones excubet , terminum
cuius aditum tām industriè obseruet , por-
tus vnde vnicè, sux tantum legionis secre-
tas suppetias expectet. Non sunt (crede mi-
hi) imaginaria ista ferocioris persecutionis
pericula: quid enim auditis, visisq; istis, non
credat

credat

credat zelosus, audiusque regnandi Barbarus? quid non agat vt occurrat imaginato periculo, vt turmas nostrorum palantes inuidat simul, etiam vndique ad macellum conquirat, quasi diffusas vbique sui sceptri insidias extincturus? Est porrò ea priuatum etiam diuisionum natura, vt factiones generent, ac schismata, quæ altercantium obstinatione partium aliquandiu agitata sensim ipsam Rempub. secum in scissuras trahunt, vnde & à principio cuius solerti Principis suspecta esse solent. Appositè S. Ambrosius lib. de Noe cap. 26.
Hinc, ait, insidia, hinc frequentiora hominibus pericula comparantur, fratribus in hereditatum diuisione frequenter odia succrescunt; si fratri amplius aliquid collatum fuerit à parentibus, fratres alij indignantur magis, & gratiā à parentibus collatam, per inuidiam auferre conantur; ista magis suspecta bella, non tantum cibi, sed singulorum donorum,

IV. Fuit eius rei ex Arist. in Polit. apud

M

Græ-

Græcos exemplar in eo, quod *sacrum* ipsi
Bellum deinceps nominarunt, cuius initia
apud Phocenses, ex sola duorum fratrum
contentione (quippe qui in pertinaci hære-
ditatis diuisione ipsam quoque fraternitatē
acerbè diuiserunt) dissiliēte sensim in ama-
riſſimas factiones, in ciuitate orta fuisse le-
guntur. Ne posteris mirum appareat, si par-
titiones istæ dissidia. mox factiones, inde tu-
multus Regnorum parturiant, nec admit-
tenda in Reip. discrimen. Vnde etiā fieret,
ut Gentilis visa Euangelicorum Ministri-
rum quātumuis tranquilla diuisione, sedi-
tiosos damnaret, ac turbulētos, gentem cū
litē seminatā, nec pacificè scientem ad in-
uicem commorari, à qua proinde facilius
metueret turbationem foris cum imagina-
retur illam tumultuari intus, nec dubitaret
eam etiam Regna sibi posse querere, cum
incœpisset iam in secretioribus tetrarchijs
proprij aliquid moliri principatus. Quod
verò nō defuturi essent in hac Provincia-
rum partitione ordinarij illi fructus, ac
fedi-

seditionum intestinarum germina (ex quibus Gentilis cōcepto tali Religionis acerbiori odio, ac Regni perdendi metu, ad arma cōuolaret, perfecutione dirissima quasi radices seditionum extirpaturus) limpidisimè constare poterit ex ingenioso Aristotelis discursu in Politicā cū cōfīmam esse seditionis causam pronunciat [quando tantum quilibet de bono, aut honore gestit recipere, quantum sibi ipsi dignus viderit, siue iam ex potentia, siue ex diuitijs sagacitate meritorum prætensione, qua se prætulerit reliquis] Vnde partim ex distri butionis inæqualitate, partim ex contemptus, ac depressionis impatientia, cæteri len to calore plumbeas iras coquūt. Demumq; in manifesta iurgia erumpūt, hinc lucrum inde honorem sibi putantes eripi; vnde sensim ad intestinas procedendi collusio nes, quarum fragor factionibus fit classicū. Porro si vllibi exacta seruari nequit diuisionis æqualitas, minimè & seruari posset in diuisione Prouinciarū, si qua vllibi fie-

ret;nam qui primò rem istam visuri esset,
proprijs terminis non contenti, haud dubie
expectarent ex ea partitione irriguum su-
perius, & irriguum inferius, cum alias nun-
quam diuisionem fuissent optaturi: quod si
ergo ita obtinerent intentum vti concipi-
uerat, orinentur lameta partiū cæterarum: si
non obtinerent, quærerentur ipsi, aliaq; via
quærere conarentur aliorum portionē cō-
modiorem; vnde mox assurgerent simulta-
tum spinosa, rixarumq; studia tanto pesti-
lentiora, quanto proprius accerserent utri-
que parti suspiciosam Barbari persecutoris
feritatem.

V. Denique quid promptius fuerit Ido-
lolatræ cunctis occasionibus calumniandi
intento, quam ferox Christianæ Religionis
odium domesticarum collisionū scandalō
excusare, quando etiam ipsos nouellæ di-
sciplinæ Magistros videret studere parti-
tioni, ac partibus, dissilire in opposita habi-
tationum spatia, & quemlibet sua propria
amplecti loca, quo cōmcare alijs fratribus
non

non liceat? Quid suspiciose tyranno ad se-
uiendum opportunius, quam si deprehen-
deret inermes Catechistas de alieni soli par-
titione contendere? Vtique verendum ad
minus esset, ne quando dicerent ḡetes: *Vbi
est Deus eorum?* Non n. quidpiam in exem-
pto Christi quem prædicamus crucifixū,
reperimus, quod eam nouæ Politicæ for-
mam in suis ministris excusaret, quando
ipse temporalem Politiam, nec specietenus
exercere volens non tātum Prouinciarum
delectui pro se, aut suis neutiquam studuit
(vt potè cuius Regnū *non erat de hoc mun-
do*, ob quam causam etiam aliquādo postu-
latus in Regem, fugit in mōtem, quasi illic
vero suo Regno futurus in excelsis vici-
nior) Verum etiam vnius priuatæ diuifio-
nis arbitrium acerbē recusauit, respondēs
ei, qui ipsum inter se, fratremq; elegerat di-
uidendæ hæreditatis iudicē. *Luc. i 2. Homo
quis me constituit iudicem, aut diuisorem su-
pra vos?* immō Saluator idem dicere pote-
rat: scimus quia Pater omnia dedit in ma-
nus

nus tuas:& Pater non iudicat quemquam,
sed omne iudicium dedit filio , exerce igitur
actum potestatis tuæ , adiudica partem
cui debetur: Nequaquā ait Dominus; neq;
enim diuidendi Arithmeticam,sed vniōnis
professionem discipulis coram turba ostendere proposuerat cœlestis magister,ne quā
do & ipsi partitionibus eius exemplò inter
se vacarent terrenis occupati; quo sensu in
eum locum Ambrosius:*Bene, inquit,terre
na declinans, qui propter diuina descēderat,*
nec index esse dignatur litium , aut arbiter
facultatum , multo minus diuisioni vacat
qui Christi amore in extremas mundi pla
gas descenderit diuina promoturus,nō hu
mana quæsitus,neque enim pro vinitoru
varietate diuersas per vineam suam ducere
limitaneas sepes instruit cœlestis Pater fa
milias, quibus ad inuicem diuidantur , sed
pro vineæ tutela vnicam dumtaxat ei cir
cumduxit,intra quā indifferēter laborarēt
vniuersi,vtiq; sciens vñica illa mutua cha
ritatis sepe permanente eā sufficienter mu
nitam

nitā fore cōtra syluestris Apri exterminiū, ea verò neglecta, diuisisq; in propriæ cuiuslibet maceriæ tutelā colonis, parum abfore quin singularis eā ferus exterminet, ac depascatur : quid n. agent seiuncti operarij, quando foris vastabit eos gladius persecutoris, & intus pauor, siuè vt de sui temporis calamitate conqueritur Apost. 2. Cor. 7. cū fuerint *foris pugna, intus timores*? Neque enim mutua diuisorum Tetrarcharū zelotypia timore vacua vnquam foret, quin alter alterum suspectum esset habiturus: opportunè ad hanc rem Chrysost. [Neq; hoc solum, inquit, erat graue, quod in suos frequens gerebatur bellum, & cōtinuum, sed quod inter fideles quosdam imperfectos exorta fuerant nonnulla scādala, & lites, & contentiones, & æmulationes, quas Paulus manifestat, dicens: *foris pugna, & intus timores*, id est *pugna* (ait Chrysost. hom. 14.) ab infidelibus, intus timores propter infirmos fideles, ne decipientur.

VI. Faceret demum, & hoc ad obscuran-

randam illic occumbentium pro fide vi-
ctoriam, si excitatis nostrorum controuer-
sijs, Ethnicus Princeps à Catechistarum sā-
guine se postulare prætenderet suæ dum-
taxat Reip. tranquillitatem, ac securitatem,
quā metueret (vt olim Romani apud Ter-
tull.) cum litigiosæ gentis impunitate con-
sistere sic posse incolumem, adeoq; se non
Christianos persequi, sed factiosos, ac tur-
barum in Regno opifices, non Euangelij
bonos nuncios, sed contentiosos, onerosos
Reip. interq; priuata iurgia quieti cōmuni
molestos prætexeret. Nota Iuliani Apostla-
tæ duplicata in hoc genere crudelitas (ex
Nazian. in oratione 1. in Julianum.) quādo
Martyrum à se enectorum causæ omnem
alium seu turbatæ Reip. seu læsi Principis
affigebat titulum, ne propter Religionem
mori crederetur. Nimirum vtraq; eos spo-
liare nitebatur vita, & ea qua Christiani vi-
uebant, & qua post mortem inter Christia-
nos viuere poterant, sub martyrij laude nū-
quam intermorituri. Quo quidem necis ge-
nere

aere quid molestius esse poterat constanti cuilibet Religionis pugili? nempe cum videtur eam se fidem, qua sanguine suo purpure tenebatur, substituto per fraudem alio supplicij titulo turpius maculari, quasi quæ talis quotidie instrueret in Reip. pernicie traditores, in quorum sanguine inueniret fides Christiana, quod erubesceret etiam ipsa: Nec omnino deesset modernis in Orbe nouo persecutoribus aliquis iustæ vindictæ color, quo hodierna illuc nostrorum foedarent martyria, si eos alieni imperij occultam moliri diuisione intelligerent, quo titulo in innoxios omnes communis exardescere posset laniens.

C A P V T N O N V M.

*Cauedum ubiq; & maximè inter Neophy-
eos offendiculum ex diuisione, si fieret,
oriturum.*

I. **O**mnia mihi licent (inquietabat Apostolus 1. Cor. 6.) sed non omnia ex-
pediunt

pediunt &c. proinde nemo quod suū est qua-
rat, sed quod est alterius. 1. Corin. 10. multò
minus quod suum non est, sed commune
omnibus, quod appropriari per partes lici-
tum fuerit, & cōsentaneum Christianæ æ-
dificationi, cum vniō suo, neglecti priuati
commodi, exemplo moneat Apost. ibidem
Corinthios, ne quod scandalum siue extra-
neis siue domesticis fidei præbeant, *sine of-*
fensione, inquit, estote Iudaicis, & Gentibus, &
Ecclesia Dei; sit ut & ego p omnia omnibus
placeo, non querens quod mihi utile est. ibid.
Porrò in diuisionibus non publicam quæri
communis boni conseruationem (illud: n-
vnitum cōsistit melius) sed priuatam vti-
litatem captari cum proprietatis usura om-
nibus manifestum est, quod quidem tantò
in Euangelicis Prædictoribus compareret
fœdus, quātò oportet Nuncios Regni cæ-
lestis, ac sublimioris à limo, terreni Regni,
à cupiditate, ac priuati emolumenti studio
magis esse alienos. Vnde figuli illi quorum
fit mentio in genealogia stirpis Iuda, meri-
tò.

tò amandati sunt ad sepes , in quibus sub
multiplici diuisione (nam figulus figulum
odit) commorari pérmittebantur, eo quod
luteas semper habeant manus,& ad cubitū
visque limosa brachia,quæ proinde mutuis
charitatis amplexibus nunquā deseruiunt;
quæ figura aptissima est eorum, qui manus
suas terrenarum rerum auiditate maculat,
vnde sepes diuisam querūt habitationēm,
nec fraternis indulgerē volūt pacificæ dē-
lectationis amplexibus,suę vtilitati inteti.
Quod si ergo simile quidpiā figulinæ po-
tius sortis quā Apostolici cādoris apud suos
aduerterent Catechistas Neophiti vidētes
ei sepibus deinceps mutuō sua disiungere
habitaæula, ac diuiso communi hactenus
prædicationis imperio priuatæ negotia-
tioni animarum propriam diligere Pro-
uinciam , vtique scandalizarentur infir-
miores credentes eos, qui sibi ipsis tam an-
xiè terram diuidūt, parum solidè hactenus
de cœlo prædicasse, nec mundis sacra tra-
etari manibus,quas limus terrenæ cuiusdā

auiditatis repente videatur inuasisse. Certè nō ita primituam traxere Ecclesiam Apostoli, quando istam à se amolituri suspicionem illimet semper exhibuere manus, solum permittētes ad extrema pedum sibi apponi venditarum substantiarum pretia fulgens lutum, ne vel tenuissima proprietatis specie pusillos offenderent. Cauebat id ipsum nimis anxiè Apost. Philippos prefecturus, protestando non se *datum* quærere, sed requirere *fructum* Philip. 4. nec sibi probari, quod alij quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi; vnde & Thessalonicę manibus, nocte, dieque laborare maluit, ne quid recipiendo grāuaret, aut offendet Neophy whole, i. Thess. 2. Similiter ad Corinthios redditurus proprijs se militaturū stipendijs, ne quem grāuaret, spoponderat: *Non enim, inquit, quaro quæ vestra sunt, sed vos.* 2. Corint. 12. Eodem ferè compendio, Tertullianus Gētilibus Christianorum nititur suadere integritatem, quasi ea Religio nesciat terrena quærere, quæ peregrina in terris

terris genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem haberet in cœlo, in Apolog.c. i. Quid autem obduxisset velando scandalο, si verè ei obiectum fuisset, non Christianos tantū, sed eorum maximè Præceptores de partitione Terrarum, de limitibus, ac terminis de pinguiori, meliori vè pascuo, de cæterorum fratum à suo districtu exclusionem viriliter altercari? An charitatem qua norant habitare hactenus velut vnius moris in domo? An modestiam dum inter diuisiones efferuescunt tumultibus? An cōcordiam, quos deinceps vna terra non capit?

II. Non dissimulat vel ipse Ambros.lib.
2. de Abraham, quantum offendatur in eo, quod Abrahamum, ac Loth fratres alioqui sanctissimos simul terra nō capiebat, vt inter ipsos diuisione Prouinciarum fuerit opus: Nulla, inquit, spatia possunt esse satis discordibus, quietis, & pacificis etiam angusta abundant, diffonis moribus etiam spatiosa coarctantur. Vereor ne quid acerbius in Euangelicis suis Prædictoribus notarent
noui

noui Orbis incolæ magno animorū offendiculo, si Frater Fratris Catechistæ diceret. Recede à me obsecro, si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo, si iu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. Genes. 13. interpretarentur siquidem cum Chrysost. hom. 33. Antea erat pax, & charitatis vinculum, nunc rixa, & contentio. Nec vana omnino conjectura. Nam ut ibidē queritur Chrysost. *Vbi meum, & tuum, illic omne litium genus, & contentionis occasio, sine quibus transigere commodè diuisio non potest, vbi autē hæc non sunt ibi secura versatur pax, & concordia.*

III. Non patebat prodigo filio compediumsior ad ruinam via, quam vbi à fratre, & grandæuo Patre discedebat, petita parte, quæ se contingebat; nimirum hic intempestiuæ diuisionis erat fructus, dum propriū querimus omnia perdere, quo sensu culpā ferè omnem in imprudentem hæreditariæ partitionis solitudinem reducit Chrysologus hom. 1. de filio prodigo, & frugi, divisione

uifio enim census (ait ipſe) *filium tulit de domo Patris, eiecit de domo, exemit patria, spoliavit fama, exuit castitate.* Et ne de pari causa dubites, pergit accusare proprietatis assertionem dicens: *Facultates unitatem, scindunt, fraternitatem separant, cognationem spargunt, parentes produnt, & violant, charitatem.* Formidolosa Catechistis sententia, quos non niſi in hoc cognoscet omnes, quia Christi discipuli sunt, si charitatē habuerint ad inuicem. Io. 13.

IV. Mira semper elucebat in Paulo sollicitudo, ut vbiq: spiritualibus filijs anxiæ ſuos quoq: commendaret collegas, Titum, Timotheum, Lucam, Apollo, & alios, quos citra æmulationē permittebat ſibi in eadem messe collaborare. *Mis̄hāit, ad vos Timotheum qui eſt filius meus charifimus, & fidelis in Domino, qui vos cōmonefaciat vias meas, q̄ sunt in Christo Iefu, ſicut vbiq: in omni Ecclesia doceo.* 1. Corin. 4. alibi fateatur ſe rogaſſe Titum, ut quemadmodū cœperat ita perficeret in Corinthiis gratiam.

2. Cor.

2. Corin. 16. & ibidem meminit Lucæ fratris, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias, gratias interim agens Deo, qui ampliorem dederat sollicitudinem in corde Titi, ut etiam sponte sua proficeretur ad illos; alibi post Timotheum fidelibus commendatum, subdit: *De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogaui eum ut veniret ad vos cum fratribus*; demum vniuersis ostendit, quod nō minus per aliorum sollicitudinem, etiam charitatis eorum ingenium comprobarit: quam multiplicē Apostoli inculcationē more suo ingeniosè expendens Chrysost. hom. 14. in 1. ad Corin ita concludit, *Nulla erat inter Apostolos inuidia, sed in unum intuebatur, in Ecclesia adificationem, quamvis minor esset qui operabatur, omni enim studio confirmabant: inde nulla dissentio, nulla partitio, quæ vel lucrum temporale, vel vanam gloriam, vel inuidiam argueret, quæ si per impossibile deprehēsa fuisset, non adeo fœcunda messis Euangelica extitisset. Nil mi-*
rum

rum si magnis progressibus augebatur Ecclesia, cū tanta in Ministris splendorer animorum vnitatis, ac simplex candor, quē nec zelus in pallorem, nec rixæ in ruborem, nec inuidiæ morbus alteraret in liuorem. Quātum putas obiecta tam Apostolica Euangelicorum Ministrorum imagine motum iri Neophytes illos, ac noui Orbis Catechumenos ad fidem arctius amplectēdam, ac riuisq; tuendam? quantum verò è diuerso per illa diuisionum iurgia (si quæ fierent) posse turbari? Eleganter rem complectitur Chrysost. hom. 53. ad pop. *Multi, ait, tabescunt, et pereunt, cum alios se preclarè gerentes, cum Ecclesiam opere, vel uerbo, vel proximum alio modo adiuuari viderint, et c.* *Quid enim queso palles, et tremis, et trepidus factus es? Quid mali factum est, quod splendidus frater, et illustris, et probabilis? non itaque coronari opus fuit, et gaudere, atque Deum glorificare, quod membrum tuum est splendidum, et illustre? Sed doles, quod Deus glorificatur. Vides quo tēdat im-*

O pugnatio

pugnatio. Sed nō quod Deus, inquis, sed quia
 frater glorificatur. At per hunc ad Deū glo-
 ria redundat, igitur & impugnatio tua. Ve-
 rum hoc, inquis, me non contristat, sed per me
 vellem Deū glorificari. Gaudias igitur se
 gloriose exhibente fratre; & per te rursum
 glorificabitur Deus, & omnes dicent: Bene-
 dictus Deus, qui tales habet seruos, ab omni
 liberatos inuidia, mutuis cōgaudentes bonis.
 Stolidum igitur est, ac indignum viro Apo-
 stolico, liuidos in suorum comministrorū
 fegetem torquere oculos inuidentiaz spiris
 inflammatos, teneros. n. agnos tales fascinat
 obtutus zelotyporum. Turpius est nolle in
 prælijs Domini admittere spontaneum cō-
 militonem, ne cogaris in laude victoriæ su-
 stinere collegam; quasi vel honore tuo, vel
 merito quidpiam ex fraterni confortij to-
 lerantia deperiret. Nec ferè euidentius in-
 quietaz indolis ostendi potest argumētum,
 quam quæ confortij impatiens mauult sola
 dominari in modico, quam communicare
 in vniuerso. Aliter ad cauenda gentiū scan-
 dala.

dala suos instruit Philippenses Apostolus,
Philipp. I.ad mutuam in Euangeliū indiui-
sa cultura societatē : *Tantum, inquit, dignè*
Euangelio Christi conuersamini, ut siue cū
venero, eī videro vos, siue absens audiam de
vobis, quia statis in uno spiritu, unanimes
collaborantes fidei Euangely.

V. Quinimò tam ipse Paulus eius regu-
læ fuit obseruantissimus , vt nec scādalosos
quidem aliquos , ac minus syncera intētio-
ne præditos Catechistas à suo grege dux-
rit remouendos , ne ex diuisione maiorum
odiorum semina manifestiora gentium of-
fendicula , & Euangeliū nascerentur impe-
dimēta . Quid.n.iniquius illis ministris, qui
Paulo Neronianis vinculis impedito, ardē-
tius ob hoc insistebat Catechesi , & Chri-
stianorum multiplicationi, quatenus irrita-
to magis persecutore pressuram vinculorū
Pauli noua immanitate aggrauarēt. Quinā
merebantur à cōmuni prædicationis remo-
ueri confortio, si non hi, qui spiritu vindic-
tæ docebant fidem , vt confunderent,

O 2 erant

Erant utique & istis fidelibus offendicula non contendenda, sed non tanta quanta ex eorum amotione, ac diuisione scandalum nasci posse videbantur. *Quidam* quidem & propter inuidiam, inquit, & contentionem: *quidam* autem, & propter bonam voluntatem, Christum predicant, & iterum, quidam autem ex contentionem Christū annunciant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. O pestilens molestorum hominū confortiū, nō à Prouincijs, sed Oceani merito à meliori cœtu diuidendū? Verum quicquid ad hæc mitis Apostolus? audi pacificum. *Quid enim?* inquit, dum omnimodo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur, & in hoc gaudio, sed & gaudeo. En quantum intererat Evangelio multorum Doctorum, etiam nō omni ex parte sincera collectio, quam omni priuatæ quieti tantoperè anteponit Apostolus, cui aptè subiungit Angelicus Doct. Augustini sententiam: *Pastor* (siue etiam Prædicator) qui propter veritatem annunciat, est

aman-

amandus; mercenarius qui propter lucrum,
est toleratus; qui falsus est expellitus. Quoniam ergo titulo superstites in aliqua Provincia Ministri exulare a se ceteros procurarent, a quibus etiam sincerè semper annunciantur Christus? quomodo expediret Fidei instructores secundum institutorum differentias diuersis, ac diuisis alligari Provincijs, quando cuiuslibet sacri ordinis forma ubiq; cōferre aliquid ædificationis pot?

CAPUT DECIMVM.

Expedit pro Fide Catholica alicubi mouiter vel antiquitus plantata diuersos ordines indiuisim excubare, ne recedente inde, vel obdormiscere illic hoc vel illo instituto, emigrat pariter, & fides, maxime ubi antiquiores pracones vineam Domini excolluerunt eandem proprio cruore rigantes.

I. **M**anifestum est (insinuate idē Chrysostomo hom. 41. in Matt.) Totidem

dem viros Religiosos exponi grauissimæ
ruinæ periculis, quot prælijs contra spiri-
tuales simul, ac corporales nequitias inces-
santer occupant; adeò vt non mirandum sit
sicubi hæc vel illa Religio collabitur, sed
magis quod contra tātam diuersorum bel-
lorum pōdera perstiterit, miraculi loco ha-
bendum; præcipuè quādo ad alienum vſq:
solum, ac solem transplantata longè à sub-
ſidijs maiorum, longius à consuetis solatijs
à tutela fuorum protectorum longissimè
exul, & auxilijs destituta nullo fouetur pio-
rū succursu, nullo perfunditur imbre, nisi
cruentæ persecutionis atroci procella, fal-
ſoq; heroici sudoris ſillicidio: quanquam,
& in his angustijs non defit, qui de fursum
omnia ſuppletat, ſegregando pluuiā volun-
tariam hereditati ſuæ. Interim non cefſat
inimicus domesticus ſenſim animoſum ſpi-
ritum ad letargum lentis disponere princi-
pijs, adeò quod rarò vni alicui Religioni
magna ſimul & diurna bona conſtiterint
aut conſtare poſſint, niſi frequentibus in-
terſi-

terstetijs renouetur, vt iterum rediuiuo Patrum spiritui assurgat.

II. Certè magnū mare, & spatiōsum manibus intrauere Apostolici Prædicatores, qui vastissimos Indiarum tractus, totumq; nouum Orbem suæ delegerunt pīscationi: non ijs ab vna pīstrice Ionam deglutiēte, periculum imminet, illic.n.reptilia, quorū non est numerus. Opportunè Hieronymus ep. 4. tales monet, attendendum esse: *In quo littore pudicitia pirata sit, ubi Charibdis, & radix omnīū malorum auaritia, ubi Scylla obtrectator, canes de quibus Apost. loquitur, ne mordentes inuicem mutuo cōsumemini, quinimo etiam in media tranquillitate securi, Lybīcis interdum vitiorū syrtibus obruumur, quod deniq; venenatorum animalium desertum nutriat.* Cum igitur tantis vndiq; impetatur insidijs religio, vt non omnino impossibile sit eam hinc inde omnino aut collabi aut desiderari, aut etiam per secularem violentiam alicubi extrudi, vbi sola ipsa sudauerat, non aderunt (supposita diuīsione)

sione) alij qui collabétem exemplo ac ope-
re fulciant, aut in emigratium horum sub-
intrent, periclitanti Christianismo succol-
laturi.

III. Nec exemplis ea res indiget, cū adeo
compertum sit vnum ordinē præ alio non-
nunquam inuenisse, aut etiam perdidisse
gratiam in oculis Principū, & sicut alicubi
vnum institutum solū, exclusis cæteris, ad-
mittitur à seculari Magistratu, ita facile est
aut inuidorū suggestione, aut Politiæ præ-
textu, alijsque mundanis respectibus effici,
quòd vnum institutum, permisis cæteris,
alicubi excludatur, aut spontè sua emigret
quo casu, nisi illi Prouinciæ dominus reli-
quisset semen aliorum religiosorum, quasi
Sodomæ, & Gomorrhæ similis, & vniuer-
sim illic Euangelij scintilla, remotis Prædi-
catoribus extingueretur. Iucundū est, quod
Matt. 14. notabat Chrysost. ser. 170. Salua-
torem licet de operariorū quæreretur pau-
citate, nullam tamen ex ijs quæ suppeditebat
mittendis seruasse parsimoniam, cùm binos
semper

semper mitteret ante faciem suam , cur.n.
duplicabat, qui tam pauci erāt? Sic, inquit,
destituta singularitas, aut negaret ut Petrus,
aut fugeret cum Ioanne [en consortij neces-
sitatem in Euangelica messis cultura, fideiq;
periculum, ex vnici messoris singularitate]
Citò.n.cadit (pergit idē) fragilitas humana,
qua de se superbè confisa socios despicit , nec
wult habere subleuantem se,cum in tam fa-
cili huius, vel illius cohortis dissipatione ,
& lapsu necessarij sint,& Ministri labenti-
bus, & qui alterna eos sedulitate potenter
subleuent,& declinanti ministerio , qui il-
lud eodem v̄su, peritiaque instaurent.

III. Rarò priscis Heroibus, ac religionis
nostræ ducibus Monomachia placuit, ma-
ximè vbi multorum hostium dispar condi-
tio certaminis pericula duplicabat:solerter
August. cum Iuliano congregiens lib. i. cō-
tra eundem, ijs verbis : *Ecce ego non unus,*
noluit in se vnicō totius victoriæ catholice
summam committi periculo, nec vniuersā
fidei causam suo discrimine sustentare, nō

P tan-

tantum ut vanæ gloriæ notam effugeret; verum etiam ut temeritatis omnem amoueret suspicionem. Nam & si quisquam prævaluerit (Ecc. 4-) *duo resistent ei*, ait sapiens. At verò funiculus triplex difficile rumpitur. At quomodo aut periculū amoliretur, aut singularis notæ taxam declinabat vnicus consortij cæterorum impatiēs manipulus bellatorum, si quis aliquando foret, qui solus amotis reliquis in vasta aliqua noui Orbis regione poteti se inimico obijceret? qui se sponderet solū sufficere, immò perpetuò suffecturum condiendis tot populis, tot Ecclesijs, conseruandæ in tanta vastitate religioni? vtiq; monomachiæ videretur si obijceretur, & diceretur illis. *Nūquid habitabitis vos sōli in medio terra?* Esa. 5. Nōne & domus multæ grādes, & pulchræ deserta fieri possunt, & absq; habitatione: Quid si relinqueretur aliquādo filia Sion, ut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario? c. 4. nec ad fuerint alij, qui aut recenti adhuc calore, viuidi, aut prisci spiritus

ritus recuperatione rediuii languentis interdum operarij labores accurrerent, qui prosequeretur, qui promoueret? nimirum deficiente (qui aliquando solus sufficiebat) cultore, deinceps *decem iugera vinearum*, facerent *lagunculam unam & triginta modij sementis* facerent *modios tres*. Esa.c.8. cunctaque frigerent adolescentis fidei incremēta, dum unus ibi orda refrigericeret. Melius profecto est *decem esse simul quam unum*, habent. n. emolumētum societatis sua, si unus ceciderit ab altera fulcietur, si dormierint duo, fouebūtur mutuo; unus quomo^ddo calefiet? Ecclesiast.c.4. præclarè in hanc sententiam Leo Papa serm. 4. de ieiunio septimi mensis Ecclesiasticus, ait, miles, etiam si in spiritualibus pralys possit fortiter face re, tutius tamen & facilius dimicabit, si contra hostes palam in acie steterit, ubi non suis tantum viribus certamen ineat, sed sub invicti Regis imperio fraternis concordatus agminibus bellum uniuersale conficiat, minori. n. discrimine multi configunt cum hoste,

P 2. quam

quām singuli, nec facile patet vulneribus locūs, quem opposito fidei scuto non sua tantū, sed etiam aliorū fortitudo defendet, ut ubi est OMNIVM causa, sit una victoria. Huic proprius ad rem subscriptit Bernard. serm. 4. de Circuncis. ita inquiens. Tot sunt auxiliares quot socij, & tales qui dicere possunt cum Apostolo, quia nō ignoramus astutias inimici, congregatur. n. pro fortitudine sua, terribilis est ut castrorū acies ordinata. Multo magis promiscua ista operariorum contesseratio præter Gentilium culturam, instaurandis illis regionibus necessaria est, vbi flamma hæresis combussit speciosa deferti, & veluti aper de sylua, vel Barbarus, vel Hæreticus exterminauit ferè domini vineā, qualis fuit Solymanus Turca Hungariam depopulans, & Lutherus magnam Germaniæ partem, & Caluinus in multis Galliæ tractibus eā dementans, ut restituta ibidē Catholica religione, sint vindemiantores ex reportato fructu, veluti vindemiantores solitum celestia cantantes, & sic

cut

cut (Ef.c.9.) exultant victores capta præda,
 qñ diuidunt spolia, &c. qui latantur in meſ-
 ſe. Quod ſi [aqua lex adiudicata eſt, ut aqua-
 lis ſit portio remanentis ad sarcinas, & de-
 ſcendentis in prælium. 4. Reg. c. 30.] quanto
 rationabilius veteres cum nouis commili-
 tonibus communem laborem subire, & æ-
 quam ſaltem retributionem recipere de-
 bent, ne putēt gētes, vel Hæretici ſibi, nō
 Deo ſoli victoriam adſcribere, qui trium-
 phare facit eos in Christo: nolle illos in cō-
 ſortium admittere, ſi (quod abſit) attentare-
 tur, eſt alligare os boui trituranti: At quis
 vnquam plantauit vineam, & non comedit
 fructus eius? Parum ne laborarunt vetusta
 ſacrorū ordinum instituta in missionibus
 apud Græcos, Cumanos, Tartaros, Iberos,
 Hungaroſ? notiſſima ſunt monumēta, quæ
 P. Fernandez in ſua concertatione prædi-
 catoria, Bozius, & Bzouius, Maluenda, &
 nunquam ſatis laudatus R. P. F. Lucas Va-
 dinguuus in ſuis doctiſſ. annalib. Ordinis Fra-
 trum Minorum, & nouiſſimè noster pien-
 tiſſimus

tiss. M. P. F. Sigismundus Ferrarius in Historia de rebus Hungariæ Prou. nostræ Prædicatorum cap. 4. &c. quis omnia enumeret? claudetur ne ostium his commilitonibus qui in prima, & validiore acie st̄ates, viam, & modum certandi ad posteros transmiserūt, & edocuerūt. Congregauit Deus, ait S. August. 13. confess: c. 34. *Societatem infidelium in unam conſpirationem ut apparerent studia fidelium:* diuidere ergo quis atten-tabit sublimi authoritate fulgētes, & emi-nentes verbi Dei præcones missos ad im-buendas infideles gentes, sacramēta, & vbi opus est, ad miracula facienda ministrātes, & generantes per Euangelium filios innu-meros, meritò ex multitudine stellis cœli, & arenæ, quæ est in littore maris exequatos, separantes preciosum à vili, instar diuini oris verbo suo distinguentes tenebras à lu-ce, & collocantes spirituales suos in firma-mento Ecclesiæ positos velut luminaria, vt illuminent sedētes in tenebris, & in umbra mortis, semper hæ stellæ in omni ætate ste-
terunt

terunt in ordine, & cursu suo aduersus im-
pios dimicantes . Benedixit quidem Deus,
(ex eodem Aug.c. 18.) non vni tantum tē-
pori, sed coronæ anni benignitatis suę(mit-
tens operarios in messem suam) in qua semi-
nanda alijs laborauerūt, mittens etiā in aliā
sementem, cuius messis in fine est, &c. hor-
reum præparans annis trāseuntibus, & præ-
teritæ messi nouam adiungens, decadentib-
us prioribus operarijs semper ministeriū
suū instaurat; quos vult , quot vult, quomo-
do vult ad diuinam agriculturā, siue in re-
gionibus Gentilium, siue hæreticorum le-
gitimos, & orthodoxos præcones destinan-
do, & eligendo . Ut nequam oculus illico
deprehenderetur; si quis zelotypia munus
coopereriorū respuat, vel dū aperit domi-
nus cataraetas donorum suorum ad sua
arua fluenta restringat , quæ ad alios deri-
uare debent. Penes spōsum sunt diuisiones
a quarum diuinorū charismata, & quoscūq;
voluerit, conuertendo corda filiorū homi-
num diriget, & adaquabit arida corda, ve-
lūt

lut in abyssō multa. Nō sibi, sed ex Aug. 13
 conf. c. 13. Illi Zelat, qui est amicus sponsi, illi
 Zelat nō sibi, quia in voce cataractarū tuarū
 non in voce sua iniucat alteram abyssum, ex
 aliorum consortio, cui Zelans timet, ne sicut
 serpens Euam decepit astutia sua, sic & eo-
 rū sensus corrumpantur & à castitate qua
 est in sponso nostro unico tuo, excidant.

CAPUT VΝDECIMVM.

*In promiscua variorum ordinum prædica-
 tione mirabiliter splendet ubiq; Christia-
 na doctrina consonantia, & unitas.*

I.



Rgurè Momos nostrorum
 dogmatum Hæreticos re-
 uincit Tertullian. de præ-
 scrip. c. 8. non posse esse er-
 ratum quod à tot traditū,
 & assertum est hactenus, neq; enim facile
 contingit tam multos in vnam errare sen-
 tentiam, adeò decorū est nostræ fidei à tan-

ta

ta gentium multitudine, ac varietate prædi-
cari, adeo gloriosum eiusdem fidei præco-
nes tam varios, tam institutis, moribus, ve-
stibus, familijs differentes, tam ætate, ordi-
num, & vocationum imparitate, inæquali-
tate charismatum multiformes in hanc ta-
men vnam conspirare sententiam, hoc so-
lum ore vnicō vociferari, ac contendere, ut
Christus vbique Gentium adoretur: Non
potest simile quidpiam vniiforme è terre-
nis surgere humanæ sapientiæ lacunis, nun-
quam aliquid tam vnum, tam ab homini-
bus æqualiter receptum, tam constans, &
indubitatum excogitauere Philosophi, cui
ipsimet inter se non contradixerint, nun-
quam n.hæresis etiam tertium, aut quartū
infecerat sectatorem, manere amplius vna
potuit, nec vel primuli illi decem à Gene-
uësibus olim ad Brasilianos à Caluino im-
buendos destinati extendere nauem po-
tuerunt, quia iam totidem in eas oras com-
portauerat fides, quot personas. Vnicum il-
lad est, catholicæq; doctrinæ proprium à

Q

multis

multis vniſormiter prædicari, quæ quidem nota in dispersione Ordinum Religiosorū, ac diuīſione minimè reluceret. *Communis* ait Basil. in constit. Monast. c. 19, *est Deus, communis pietatis mercatura, communis ſal- lus, communia certamina, communes labo- res, communia præmia, & certaminum co- rona, nempè ex diuinæ communitatē pro- totypo vrget, ac certaminis communitatē ſeu plurium vnitatem: pergit namque, ubi multi unus, & unus non ſolus, ſed pluribus, ubi militans alijs militat, & qui orant, vel psallunt, militantes adiuuant.* Audi multos in vno vnum in pluribus, quo forſan id in- ſinuat, quod ſuis Apoſtoliſ, ac Euangeliciſ Ministris diſtinctius optabat Chriſtus, cum dicebat. *Pater ſancte ferua eos in nomine tuo quos dediſti mihi, ut ſint vnum ſicut & nos;* nimirum ſalua personarum diſtinctio- ne, illaque compage ſpirituum, quæ crea- turis poſſibilis eſt.

II. Alludit ad hunc ſenſum aliquanto propinquius Nouatianus lib. de Trinit. c.

22. apud

22.apud Tertull. explicans.n. Sanctiss. Trinitatis mysterium, ait. Denique hanc concordia unitatem, ita & Apost. Paulus cum personarum tamen distinctione, nam cum ad Corint. I. Cor. 3. scriberet. Ego, inquit, platanus, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit; itaque neque qui plantat est quicquam, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, qui autem plantat, & qui rigat unum sunt: quis autem non intelligat alterum esse Apollo, alterum Paulum, nonne eundem atque ipsumnum Apollo pariter, & Paulum? Denique & diversa uniuscuiusque sunt officia prolata; alter. n. qui plantat, alter qui rigat, hos tandem duos, non quod unus sit, sed quod unum sint proposuit Apost. Paulus, ut alter quidem sit Apollo, alter vero Paulus, quantum ad personarum distinctiones pertinet, unum ambo sint; nam quando duorum una sententia est, veritas una est, fides una est, una atque eadem religio est, unus Dei timor est, unum sunt si duo sint, unum sunt dum ipsum sapiunt, etenim quos persona ratio inuicem dividit, eosdem rursum in-

Q 2 inicem

uicem religionis ratio conductit. Et quamvis idem atq; ipsi non sint, dum idem sunt, & ipsum sunt, & cum duo sint, unum sunt, habentes in fide societatem, etiā si gerant in personis diuersitatem. En illustrem S. Trinitatis imaginem vnitatem cordium cū multiplicatione personarum, quam nequaquā fugere tenentur Euangelici Prædicatores, ne conuersatione negent, quod ore proferunt: & ne dubites prædicationis consortium quod vrgemus, ad præfati mysterij inter credibilia sublimissimam annunciationem pertinere; audi Chrysolog. ser. 170 [S. Trinitas, quæ ex duodenario numero Apostolorum triplicatè partitam concendit quadrigā, nunc ascendit, & bigam discipulorum combinatorum, binos. n. misit illos ante faciem suam, vt Iudæorum, & Gentium vocatio duobus nuncijs monstretur] Quid clarius? dissolue ergo hanc bigam Euangelicam, & Catechistarum, & Sanctiss. Trinitatis Euangeliū in nouo Orbe non progredietur. Diuide promiscuas diuersorum Ordin-

Ordinum rotas. & quiescēt Ezechieliſ animalia. diſiunge alicubi Catechistarum in vna prædicationis voce mirandum conſor tium, & speciosā illius primi mysterij ima ginem obliterabis, ne plures vnū eſſe dein ceps appareat.

III. Parum admirabitur Gentilis in my sterio Christiano, cum illud domi ſuę non niſi ab vno genere hominum (quos facile ēt conspirare) exceperit, maximē videns inde decedere ministros cæteros, quaſi doctrinarum illa, non Prouinciarum cæpiffet eſſe diuifio, parum animabitur Catechista ſola domeſtica virtutis ſuę laude, quando nō adeffent diuersæ familiæ præcones eius industriam approbātes. Præclarè vt omnia S.Ioan.Chrysostom.hom.37.in Act. *Quam inquit, habet mercedem doctor non habens cui ostendat edoc̄tos, quam etiam qui docen tur, si non optima fruantur doctrina? Et ita ſimiliter alter altero opus habet, Et Principes hiſ qui reguntur, Et duces ſubditis: Principes enim multorum gratia ſunt: Nullus enim*

enim sufficit per se ipsum aliquid operari, siue suffragia dare oportet, siue consilia, et sententia honestiores fiunt à congregacione, et multitudine. Robustius itaque est quod à multis offertur consilium: plausibilior; doctrina quam Doctorum varietas, ac sententiarum commēdat vñitas: honestius suffragium, quod diuersis placuit, non secus ac lautior ex multorum symbolo instruitur cœna (vt meminit Aristoteles 3. Polit. 7.) quoniam vñusquisque sui aliquid in commune confert quod omnibus profit. Immò plurimum in eodem pio exercitio pacifica vñitas conducit, eodem teste ad incitationē dilectionis, ac bonorum operum; propterea maiora potest cōmunitas Ecclesia, quam per se ipsum nullus potest. ac demum allegans illud: Vbi duo vel tres sunt congregati in nomine meo, ait, si duo magna possunt, multò magis plures, quamvis unus sis, multum valeas.

IV. Certè ipsiusmet triumphantis Ecclesiæ nonnullam maiestatē idem Sanctus illic

illic relucere existimat, vbi militantes, Duceſ, ac Magiſtri in concordi vnitate pacificè cōmorantur. *Dic ora, ait, num in Sacramētis tumultuatio quādam, aut turbatio?* quando baptizamus, quādo alia omnia facimus, nonne silentiam, & quies alia omnia detinet? hæc in Cœlo pulchritudo diſpersa eſt. At vero si religioſo silentio obmutefcit ſecularium turba in Sacramētorū receptio- ne, ac instructione; quomodo ab ijsdem ac- cipietur, ſi quādo in minori pressura tumultuantur ſpōtanei Miniftri? *Hanc ob rem,* & apud gentes male audimus, quaſi ad oſte- tationem omnia facientes, & ad gloria ſtu- dium, ſed ſi hoc prohibeatur, etiam primarū ſedium amor extingueretur. Hæc Chryſo- ſtomus, vt diſſidia quæ oriri poſſent, præui- ſa, antequam enaſcantur, præcideren- tur.



CA-

CAPVT DVODECIMVM.

*Promiscua diuersarum Religionum in novo
Orbe, & alijs infidelium Regnis cohabita-
tio, facilius lupos Hareticos (si qui sub
ouina pelle irruerent in eas caulas) depre-
hendere potest, & erroribus, si seminari
contingeret, facilius occurri posset.*

I.



Artyr Cyprianus compen-
diosam viam arbitratus est
ad detegendos lupos, ha-
resimque in semine extin-
guendam, si vigilans diuer-
forum vndique Pastorum excubaret mul-
titudo, vt quod non vidisset oculus, aduer-
terent oculi, & si vnicum fefellisset, aut cir-
cumuenisset custodem atrox bestia, nō fal-
leret pari successu & reliquos: verba eius
sunt epist. 67 ad Stephanum. *Idcirco fra-
ter charissime copiosum corpus est Sacerdotis
concordia glutino, atq; unitatis vinculo co-
pula-*

pulatum, ut si quis ex Collegio nostro harsim facere, et gregem Christi lacerare, et vastare tentauerit, subueniant ceteri, et quasi Pastores utiles, et misericordes, oves dominicas in gregem colligant. Vtique idem va-
stissimis illis tamquam ab Orbe nostro diuisis Regionibus immineret periculum, si cubi vnicum tantum exulantibus coeteris degeret Religiosorum Catechistarum institutum longe ab aliis remotum, ita quod nec ipsorum ad illos rumor ob locorum distantiam, nec horum ad istos freques communio ob diuisionis zelum posset pertinere. Quo casu si unus vel alter huius, aut illius familiae sensim rotari inciperet virginis spiritu (maxime si quod inter suos autoritatis fastigium longo vsu obtinuisse) aut alias secularis astutiae haberet plurimum: certe verendum esset, ne prauorum dogmatum splendida nouitate plures sibi lucraretur ex suis asseclas, quam inueniret contradictiones, tantoq; serperet venenum securius, quanto distarent longius qui nul-

R la

la domestica passione präoccupati , liberè contra fraudulentas machinationes declamarent. Vni Ecclesiæ vniuersali, eiusq; Capiti visibili in terris concessa est secura indefeſibilitatis æternitas, particularium Religionum nulla est, quæ non alicubi, vel in präcipuis quoq; membris exerrare à fide possit: luculentam huius rei demonstrationem leges apud Sanctum Vincentium Lerinensem contra prof. voc. nou. cap. 15. vbi varijs exemplis elegantissimè definit quæſtionem, Cur magnos interdum viros excelsi nominis inter suos, ac splendidioris literaturæ permittat Deus hæresim condere , aut Ecclesiam infami schismate lace rare , qui aliàs maiores quoque esse poterant si minores esse voluissent, nimirum tētat nos in eo , ac soliditatem fidelium probat fidei autor, vt norint non inniti Ecclesiæ fidem humanæ industriæ, nec ab hominum quantumuis sapientum , quantumuis illuminatorum autoritatē dependere. Omnes quidem Apostolos Luc. 22. (quid min rum

rum si & Apostolicos missionum socios, ac successores?) præsupserat expetere ad cribrum impudens Satan , ac pro vnico Petro rogatum est ne deficeret fides eius, quæ cōfirmandis fratribus indefectibilis præseruabatur, vt agnoscerent etiam futuri Euangelij Präcones, non suam esse, sed Petri firmitatē, qua consistunt, qua opprimūt, qua cōculcant portas inferorum, ne quād o fraternorum auxiliorum pertesi, suisq; fidentes viribus, singularitatem putent esse soliditatē, cū tamē Chrysologo testante, facilis sit *destituta singularitas, aut negare, aut fugere*, vt supra de hac re nōnihil expendimus. *Quis ergo non videt vehementius expedire* in ijs quoq; Regionibus multiformē variorum Ordinum vigilantiam excubare, promiscuè, vt vel non subintret nouitiorū dogmatum pestilentia, vel vbi hanc vel illam inuasisset domum, pateat fidelibus salubrior aliorum Orthodoxorum sinus quo configuant, vt cōtagium moniti effugiant. Pulchrè Cyprianus in præfato loco prosc.

R 2 qui-

quitur. Quid enim, inquit, Si in mari munitionibus suis sumptis infensus, et periculosus portus esse nauibus cœperit? nonne nauigantes ad alios proximos portus naues suas dirigunt, ubi sit tutus, et salutaris introitus, et statio secura? aut si in via stabulum aliquod obſideri à latronibus cœperit, ut quisque ingressus fuerit, insidiantium illic infestatione capiatur; nonne commēates hac opinione comperta stabula alia in itinere appetunt tutiora, ubi sunt fida hospitia, et receptacula cōmeantibus tutar? quod et nunc esse apud nos debet frater carissime, ut fratres nostros qui vitatis Marcionis (aut quicunque alibi surgeret) scopulis, petunt Ecclesia port's salutares; fuscipiamus ad nos prompta, et benigna humanitate, et stabulum commēari: bus prebeamus tale quale est in Euangelio, quo à latronibus vulnerati fuscipi, et foreni, et tutari à stabulario possint. Nō vni tantum cohorti committitur regendus exercitus, sed vni duci diuersos militares ordines, & sub una statione diuersarum nationum bella-

bellatores ordinanti . Nequaquam igitur
vnī instituto, exclusis cœteris, committēdi
sunt omnes fideles Neophyti, vt ab eius
vnico fonte haurire cogatur , quicquid ex
eo purum impurumve , corruptis hinc in-
de eius canalibus aliquādo (vt fieri potest)
profluxerit,nec satis tutè vnico quantūuis
centoculo Argo committebatur Ius cu-
stodia,quin eum blanda mendacis Mercu-
rij symphonia, profundo tandem somno pau-
latim excæcaret,eò quod oculi,quāuis plu-
rimi,quāuis acuti, vnius tamen capitis erāt
in vnico Argi cerebro radicati,in vnica frō
te communi vita,cōmuni sympathia colli-
gati , ideoq; ad communem somnum vno
dormitante faciliores. Nec enim furto sub-
ductum fuisset Pastori pecus , si pro cētum
illis oculis non nisi quinquaginta oculati
aduigilassent, quos simul harmonica non
sopiuisset impostura. Ita contigere posset, si
in Orbe nouo greges vni concrederentur
familiae,citraq; assistētiā cæterorum etiā
cētum proprijs oculis excubaret,nondum
à dulci

à dulci nouitiorum dogmatum sibilo, tan-
ta suppeteret contra connuentiam, som-
numq; securitas, quanta si varij gregem cir-
cūstēt oculati; facilius enim oculos in vni-
ca fronte colluentes philautica possibile
est decipi sympathia, vt vni corū dormien-
ti plures condescendant, errori connueāt,
aut etiam accedant, quodq; commēbri sui
delictum excusare, aut occultare nequeūt,
præsumant mordicus defendere, ac contra
Maiorum (sicubi innotesceret) correctio-
nem secretis fouere subsidijs, animare sug-
gestibus, armare præsidijs, ac omnia demū
agere ne cōmēbrū suū dormitasse, aut ex-
cessisse in aliquo videatur, neve in vno ocu-
lo totus arguatur Argus, tota confundi vi-
deatur communitas; siquidem priuatorum
affectuum, ac domesticæ passionis ea violē-
tia est, vt nonnunquam malit homo cū suis
contubernalibus decipi. quām sapere cum
extraneis, & amētur ductores proprij simul
cum ipsorum lapsibus: quod si quando in-
ter Religiosos (quod absit) contingenteret, vt
con-

contingere attēta humana fragilitate pos-
set, larga nimis, ac libera periculosis phan-
tasij sterneretur via, ac ibi præcipue vbi di-
stante longius summo Pastore vnico sem-
per insomni, semper indefectibili, remotis
que cæterorum Ordinū saltim alternan-
tibus excubijs, vni soli instituto constaret
liberum totius Fidei disseminandæ arbi-
trium.

II. Quid si particularium Ecclesiarū Pa-
storibus sponsis iam sacro ijs nexu subar-
ratis nulla sit iniuria, si præter ipsorum
indubitatem vigilantiā tutelæ gregis per-
fectori eius adiunguntur Apostolici fidei
catholicæ quæsitores, vt securius, pleniusq;
de munitissima custodia prouideatur gre-
gi, vt nullus insidiatibus lupis relinquatur
aditus, nec rima sit quam multiplex ouile
circundans oculus non obseruet: certè nec
indecorum esse poterit Ordinum vna cō-
morantium illustri varietati, si inuicem se
custodiant, inuicem dulcis profectus vicis-
studini intenti. *Deus enim* (vt cum Augu-
stino

stino dicā in Regula) qui habitat in vobis, et
isto modo custodiet nos ex nobis, quando sci-
licet nō æmulationis studio, sed mutui au-
xilij amore intendunt. Septem oculi super
lapidem vnum, eoquè intentionē dirigunt,
vt omnia in lapidem vnum, in vnam Apo-
stolicæ obedientiæ petram dirigantur,

III. Parum eam œconomiā probat Arist.
in Politic. in qua serui omnes ex vnica de-
liguntur, natione, vt V.G. Omnes sint Ale-
manni, vel omnes Dalmatæ; facilius enim
fectas in domo instruunt, ac diuisiones, qui
ignota cæteris lingua mutuò se colligant,
& malorum consciij, dum ab alijs non intel-
liguntur, securius inter se concurrant. Nec
modicum spirituali Oeconomiæ eadem
quadrat regula, cui proinde ad cauendas
pessimas conspirationes vbique instituto-
rum religiosorum conducit diuersitas, ac
varium promiscuæ seruitutis obsequium,
vt semper supremus Dominus Magister,
IESV Christi in terris Vicarius de cuncto-
rum opera, solertiaque fideliter informe-
tur,

tur , ne qua inter vnius idiomatis domesticos secta liberis initiji inchoari valeat , si quando tales diabolus ad cribrum pro vo-
to suo postularet.

IV. Cribrauit aliquando importunus dæmon Pelagium, Sergium, Eutychetem, quos ijdem inter primos stiparunt erroris confæderati, qui fuerant eiusdem instituti contubernales: at concurrente ex alijs Monasterijs Hieronymo , Hilario , August. & cœteris, detecti sunt lupi qui callidè fœui-
re constituerant in ouile. Fascinauit idē seculis his vltimis, Lutherū, Bucerum, Ochi-
num, alios: sed quæ non Religio ad cōe incendiū restinguēdū conuolabat ? aderant cunctorū ordinū accinctæ phalāges, irruē-
tibus hostibus aditus resistēdo præcluden-
tes. Sed quid , si quos huius vel illius Ordini-
nis viros in nouo Orbe degētes omni alio-
rū Religiosorū vallo nudatos, eadem noui-
tatis inuaderet vertigo; quis adeò promptè
succurreret furentibus , quis moneret, aut
saltim induratos arceret ab innoxio grege,

S cūm

cum foli illic inter suos degerit, ijsdem forte dominarentur?

IV. Nō absimili ingenio paucis ab hinc lustris supplantauit tenebrarū Angelus M. Ant. de Dominis Archiapistatā Spalatēsē, vt omnium Episcoporū ambitiosē vrgeret mathematicam æqualitatem, obtrusa noua Aristocratica Reipub. forma, quam reiecta vnius summi Pastoris Hierarchia Ecclesia induceret. Quid si ille iam pridem in Angliam profugus, aliquando ad longinquas alterius Hemisphærij oras à se fuisset desti natus? certè quo pauciores inuenisset qui reclamarent, eo securius rudi Genti suas persuasisset veterator Ecclesiā; mox fortè etiam mutato tantisper dogmate, & ad solemniorē ambitionē accōmodato, sum mū se illarum partium venditasse poterat Hierarcham, suamq; Ecclesiam quæ illi cōtigisset, vel Provinciam, V.G. Mexicanā vel Iaponicam, iactitare potuisset saltim pro illo Hemisphērio se vniuersalem, duos forsitan somniando & admittendo Sūmos

Pon-

Pontifices (vt olim duo dominabantur Imperatores) ita vt vnum Antarcticus, alter Arcticus poli diceretur Papa, quorum hic vetrem, ille nouum Orbem gubernaret: qua inuentione quid sibi prima fronte speciosius? quid ambitioso Apostolatæ dulcius? quid Ecclesiæ unitati luctosius excogitari potuisset? nec dubitem quin suo ibidem non caruisset satellitio, si quos illic inuenisset suos symmistas, & Archisinagogos Genueenses, quos nec Religionis amor, nec Apostasiæ pudor, nec summi Pastoris coercuisset formido, nec denique torrensis multiformium ex omni ordine Religiosorum, quos (supposita Provinciarum diuisione) nō inuenisset. Non ex propriæ phantasiaz latibris hi casus possibles prodeunt, sed de lacunis putridis Spalatensis. is.n. libro 6. de Repub. Eccl. c. 2. vbi Imperatoriā dignitatem cū Papali parificasset, scripsit, quod sicut Imperator potest amittere totum Regnum, ita & Pontifex multas Ecclesias amittere potest, & Episcopos restringi ad solam.

Provinciam Romanā, erigi alium Patriarcham, vel plures Patriarchas in Occidente, ex causa nouæ Imperialis ciuitatis, aut propter alias Ecclesiasticas commoditates, cum pleno Patriarchali priuilegio, unde posset etiam non minus facile quam laica potestas, Pontificalis potestas variari. Fictio ista à Spalatensi pro Occidēte (ob vtilitatem Ecclesiistarum, ædificationem ciuitatis Imperialis, Patriarchale priuilegium cū illa ficta plenitudine potestatis quam callidè ad ditinam solam Romanam restringit) ad inuentata est. Quid si (cum Oceano vastissimo se committens ad diuisos ab Orbe Britannos aufugit) ad Americanas postea repertas insulas Pontificatum distrahere ausus esset inaudito prodigo, & ob vtilitatem Ecclesiistarum Americarum, & locorum intercapedinem, Imperialis ciuitatis commode, etiā obstrusisset, addita locorum intercapedine duos summos Patriarchas cum parilitate priuilegiorum, & potestatis, Europæū vnū, Americanum alterum? nonne monstruosa

duo

duo capita in Ecclesia inuexisset? nonne vestem inconsutilem in duas partes secaſet? Ne ergo semina ista ab Apostata iactata, in regulos erumpant, expedit omnigenam Sacerdotum familiam excubare, mutuamque operam impendere, ne diabolo vllus detur locus per has rimulas intrandi, & irrumpendi in ouile Christi, qui in hoc adlaborat sub pallio zeli cōpagem, & vnitatem ministrorum dissoluere, vt aperto Marte caput visibile Ecclesiæ, à quo totū ecclesiasticum corpus indiuiduo nexu dependet, inaudito portento adoriatur.

V. Denique expedit promiscua in illis Regionibus variorum Ordinum præſentia amplificandæ nouellorum Martyrū coronæ, quorum glorioſo certamini plausibilius attestando, multorum, ac maximè extraneorum mirè conducunt testimonia, vt citius ab Apostolica Sede (cui vnicè referuata est eius tituli solemnis concessio) approbetur, nequa oriri possit suspicio fictos aliquos martyres Europæ persuaderi (quod absit)

absit) isthoc enim stratagemate, non fidei tantum scissura, sed etiam rituum nō modica procuraretur confusio, ad iniurianū Ecclesiæ, quin immo à varijs diuersorum institutorum Religiosis, ex omni illarum Regionum promiscua messe, hinc inde commeantibus, ac in Europam redeuntibus, citius, vniuersaliusq; innotescunt celebres illorum Martyrum agones ad fidelium ædificationem, ac sacræ missionis stimulum, ac denique cū indiuisæ culturæ studiosi fuisse probantur Martyres, & ab omni simultate, æmulatione, inutili zelo, ac proprietatis amore alieni, abundantius satisfit iusto, debitoq; illorum prælijs examini, quando nempè inter cæteras eorum virtutes mirificè processum fulciunt vnitatis studium, amor fraternitatis, corde, verbo, opere, manifestata cōmunitatis cōcordiæ professio, sine quibus, vt neq; esse, sic nec declaratur Martyr gloriosus: audi Martyrem Cyprianum lib. de vnit. eccles. *Pacem nobis Christus dedit, concordes, atque unanimes esse præcepit dile-*

dilectionis, & charitatis foedera, interrupta,
atque iniolata feruari mandaui: exhibere
se non potest Martyrem, qui fraternalm nō
tenuit charitatem; docet hoc, & contestatur
Apostolus Paulus dicens: si tradidero cor-
pus meum ita ut ardeam, charitatem autē
non habeo, nihil sum. Ad pramia Christi (qui
dixit, hoc est mandatum meum, ut diligatis
inuicem sicut dilexi vos) pertinere non po-
terit, qui dilectionem Christi perfida dissensio-
ne violauit, &c. Cum Deo manere non pos-
sint, qui in Ecclesia Dei unanimes noluerūt;
Ardeant licet flammis in ignibus traditi, vel
objecti bestijs animas suas ponant, non enim
illa fidei corona, sed pœna perfidie, nec religio-
sa virtutis exitus gloriosus, sed desperationis
interitus, occidi talis potest, coronari non
potest, Multum quippe interest inter Mar-
tyrem, & eum qui quovis alio titulo apud
infideles trucidatur.

C A P V T . X I I I .

Expedit respectui Sedis Apostolicae ubique locorum, Catechistas ex promiscua sedulitatis paritate in humilitatis, & obedientia officio contineri.

I.



Biurgat nonnihil asperius Gentium Doctor i. Corin. i. i. suos Corinthios, ob sacrę Eucharistię modicā reuerentiam, priuatis enim aliqui cænulis domi lautius distendebantur, cum in Ecclesiam ventum erat, iam nō esset Dominicam cœnam manducare, quippe quos ad satietatem etiam saturimā aliquando propriorum esculentorum præoccuparat ingluies. Explicaturus hanc Apostoli periodum Chrysostomus, non Dominicæ tantum Cœnæ, sed & ipsorum in hoc facinore Corinthiorum iniuriam, ac detrimentum notat, ait enim idē hom. 27. Quod Domi-

*Dominicum est, priuatum faciunt, itaq; ipsi
primi sunt ignominia affecti, qui à mensa
sua maximā abstulerunt dignitatem: quonā
pacto? quoniam Dominica Cœna, hoc est Do-
mini, debet esse communis, quod enim Domi-
nicum est, idem ē communis; nam si Domi-
ni tui est, quemadmodum est, non debes tan-
quam proprium tibi assumere, sed tanquam
rem Domini cōmuniter omnibus propone-
re, siquidem hoc est Dominicum, nunc autem
non est Dominicum cōmune, sed tibi, cum nō
sinas esse, comedis. Non absimili euentū, si
qui Euangelici prædicatores alicubi sibi
solis hanc, aut illam arrogarent noui Orbis,
vel aliarum infidelium regionum Prouin-
ciam, maximam certè ei auferrent dignita-
tem, quæ cōmunis hactenus patuerat om-
nibus, eò quod Dominica erat, nō propria;
nec approprianda seruis, sicque primi ipsi
ignominia se affectos deprehēderēt, quip-
pe qui à portione sua cōmunitatis abstu-
lissent dignitatem; cōmunitatis dico, nō
quia hæc aut illa particularis Regio Eccle-
siæ incorporata meruisset aliquando nun-*

cupari *vniuersalis Ecclesie* (nulla n. quantum
 muis immensa Orbis portio hunc titulu
 adæquat præter vnicam S. R. Ecclesiæ) sed
 illius communitatis , quæ in propriæ serui
 tutis agnitionem alios admittit conseruos
 intra vineam , ne quid sibi Dominicū ipsa
 prætendere videatur exemplo malo agri
 colarum , qui electis à se quamplurimis cō
 seruis vineæ , præsumebant appropriare sibi
 hæreditatem , cuius auiditate perciti , ad ip
 sam usque hæredis filij necem processerūt .
 Certè Pater non nisi sponso filio (cui dein
 dè cum sponsa communis facta est suppel
 lex) dixit : *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuā*
 & *possessionem tuam terminos terræ* : Psal . 2.
 qui etiam vel ea ipsa quoque calceamenta
 quæ in Idumæam extendit (mittendo Ca
 rechistas) sua vocat , vt illud inferat *mihi*
alienigena subditi sunt . Psal . 59 . quare veren
 dum esset ne quando Dominicum esse ces
 saret , quod commune esse non sinitur , nec
 vniuersali Ecclesie videatur accedere ,
 quod , ut in particularem commoditatem

cedat ,

cedat, inquiratur, quod enim Dominicum est, idem commune est, inquietabat ille.

II. Cum verò ea etiam humanæ fragilitatis conditio sit, ut propria quæque extremo conatu attollamus, deprimamus aliena; quid mirū, sic ubi instituta alterius Hemisphærij diuisione unaquæque Religio, quo infirmioribus hincinde abundaret a seclis, eò imprudentius suam cæteris messem anteferre, suosq; æstimare labores, & iactare propriæ ditionis florem vanissimè contenderet? non deesse possent fortassis qui prætenderent à Religiosis cæteris Prouincias, à suis Orbes nouos adduci ad Christum: dicerent alij Discipulis se Apostolis æqualia præstitisse: deniq; qui periculosius crederet suis honorifica discretione à reliquo Catechistarum vulgo alicubi segregatis, integrum aliquod, nouumq; *uniuersum*, incubere: mentior si non nihil extenso vocabulo (ut est hoc seculū immanis nomenclaturæ feracissimum) suam partem, & particularem messem *Uniuersi Ecclesiam*, quin

Ecclesiam vniuersalem, attitulare, pulsarentur. Græcorum quondam imprudens fuit, insolentia, cum Ioannes Constantinopolitanus Patriarcha, Orientis (quem omnino credebat suum) vastitatem vastiori superbia emetiens *vniuersalis Ecclesia se Patriarcham* voluit ab omnibus appellari; cui in eodem fastu, ac fastigio alias successit Cyriacus eiusdem Oriëntis ambitum ambitioni suæ accommodans, affectansq; paris nominis *vniuersalitatem*: Verum Romani Pontifices suæ nunquam potestatis immemoires egregiè semper ambitiosæ Gentis restiterere vanitati: Ioannem Pelagius Papa, eiusq; successor Gregorius Magnus potenti compescuerunt proprij iuris defensione, Cyriacū Leo increpuit. Nec mouere quenquam debet horum Pontificum suavis modestia, qua & ipsi *vniuersalitatis titulum* videtur declinare, quod nō ideo accidit, quod cum sibi in recto acceptū sensu non deberi crederent, quippè quos Chalcedonensis Conciliij Patres, alijq; pluries hoc titulo *Oecumenici*

nici, *Apostolici, Patrum Patris, Episcoporum
Episcopi, &c.* ornauerant; sed quia æquiuocum erat vocabulum, falsamque generare poterat opinionē, quasi ita Romanus Pōtīfex vniuersā Ecclesiā curā gereret, aut cæteris inferioribus Patriarchis, ac Pastoribus in sollicitudinis partē assumptis nihil curādum superesset, respuerūt: ita colligitur ex Pelagij discursu, cum inquit, *Nullus Patriarcharum hoc vniuersalitatis profano vocabulo utatur, quia si unus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur, &c.* quapropter charitas vestra neminem unquam suis in epistolis vniuersalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cum alteri offert honorem indebitum. Idem exhorruit ambiguæ vocis periculum Magnus Gregorius epist. 30. ad Eulog. sic scribens: *Tunc verè honoratus sum singulis cū quibusq; honor debitus non negatur; si enim me vniuersalem Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur vniuer sum, sed absit hoc, &c.* Hoc igitur si recusarunt

rūt Pōtifices illi qui verē *vniuersales* erāt; quo sensu accipiendum esset si qua (quod absit) noui Orbis Ecclesia à suis Catechistis nominaretur *vniuersalis*, post negatum alijs comministris confortium communis circa eam solicitudinis? Pontificū aliquando (dum ita exigebant temporum pericula) ciuitas fuit , & in subiectos Episcopos indulgentia, vt tantisper ab *vniuersalitatis* titulo prudenter abstinerent, ne videretur exauctorare, aut nō admittere cooperarios Dominicæ hæreditatis Non patietur Catechistarum (qui in nullo vero sensu *vniuersales sunt*) Christiana humanitas, vel eundem *vniuersalitatis* ambire titulū , & cooperarios à sua portione excludere , vel hos excludere, vt illum assequantur. sanè *vnicā IESV Christi Ecclesia est*, nec ferē aliter à Cypriano lib. de *vnit. eccl.* definitur, quā *Grex suo Pastorī adhārens*. vnde sicubi renouaretur Ioannis Constantinopolitani petulans ambitio, exultarent vel ipsi adhuc infames M. Antonij de Dominis cineres, dū exten-

extensa ad plures Ecclesias *uniuersalitate*,
 nō iam amplius supra cæteras, sed inter cæ-
 teras (vt dicebat) dumtaxat Romana sedes
 imperitaret. Nec profanum istum loquēdi
 modum excusaret vlla aut synecdoche, aut
 mentalis restrictio, quandoquidem si tuis
 præ cæteris, etiam sub Romana, particula-
 ribus Ecclesijs *uniuersitatē* dederis, ela-
 tio est, si cum cæteris, mira confusio, cum
 quælibet dicta fuerit *uniuersalis*, quæ effre-
 nis titulorum licentia magno carere peri-
 culo non potest. scio me hic nec somnia
 fingere, nec monstra quæ feriam, at trāseo;
 sufficere enim debet cunctis quæ Magnus
 admonebat circa idem propositum Grego-
 rius: *Absit hoc, recedant verba, quæ vanitatē*
inflant, & charitatem vulnerant, addoquè
 sensim obedientiam (quod absit) erga Ro-
 manam sedem euacuarent.

III. Porrò modestam virorum Apostoli-
 corum humilitatem, quantum promiscua
 fouet plurium in eiusdem victoriæ laude
 participantium cōmilitonum societas iam
 supra

supra attigimus, ut qui gloriatur, seruitus
suae non inimemor, in Domino glorietur,
cuius est & vinea quam colimus & vires
quibas eam colimus, & demum nos ipsi qui
colimus; bene Chrysostomus: *nobis ne cura*
sit quid multi sentiant, neque ultra quam
oportet de gloria solicii simus, Deo vivi
mus, non hominibus, in Cælo ciues sumus nō
super terram: illic præmia, & brauia nostrorum
laborū iacent, illic expectemus laudes,
illic coronas, etenus curemus homines, ne
eis offendiculo, & damno simus. Neq; tamē
inferior singulare aliquid deberi fortissi-
mis illis Quadrigis Aminadab, quæ hæsitā-
ti in littore Israeli viam fecerunt per mare
exponenti animas suas tunc populo Dei
præcedentium iter deinceps secuturo: sed
vnicum id vrgeo ne singulare transeat in
singularitatem, nec frater temerè infletur
aduersus fratrem, quasi à manipulis cæte-
rorum adorandus, priusquam id ei Dominus
indulserit; meruit siquidem veste Ioseph se-
cerni à fratribus; at non constat eum lon-
gin-

ginqua ab ipsis quæsiuisse habitacula studio singularitatis, nec tolerabile est, aut iustum, quod apud Petrum venerabilem ex 17.lib.4.contra fratres iactitant illi habitaculorum (quos arguit) diufores, taliter sibi de sua præ cæteris excellentia blandiētes: *Felices nos, quos longè probabilior institutio comendat, quos beatiores alijs monachis mūndus prædicat, quorum opinio aliorum existimationem, quorum dies aliorum lucernam, quorū Sol aliorum sydus obscurat. Nos reliquias perditæ restauratores, nos emortui ordinis resuscitatores. Nos moribus, nos actibus, nos usibus, nos vestibus à ceteris diuisi, et veterū temporē ostentui fecimus, et nouū nostrorū feroarem præcellere approbamus.* Hæc quidem tunc tempore Petri venerabilis erat quorundā Religiosorum imperfectorū mutua æmulatio, tantopere inuisa Sanctis, quæ propria æstimationis turgebat inflatione, quæ ut prosequitur Sanctus, metitum unitatem scindebat, quæ ipsas domos ab inuicem secernebat, quid sperandum,

vbi eadem Regiones iam non domos , aut
habitacula separaret?

C A P V T X I V .

*Ipsis Religiosorum in Orbe nouo promiscuis
Catechistarum Ordinibus, non leue
damnum ex huiusmodi diuisio-
ne obtingeret.*

I. Eritò in vltimum reieci mus

 locum , quod in viris Apo-
 stolicis infidelium conuer-
 sioni intentis haberí solet
 in postremis , damnum vi-
 delicet proprium , seu domesticum illud
 sit, seu personale, quod quamuis tunc æsti-
 mari ab ipsis nec soleat, nec debeat, quando
 melioris , aut communioris boni lucrandi
 affulget occasio; nihilominus ea deficiente
 non omnino quoq; negligendum videtur.
 Certè durissimum merito omnibus adeò
 fructuosis in ea vinea Religionibus videre-
 tur

tur, cum extenso post tot annorum promis-
cuam populationē nouo distributionis fu-
niculo, nōnullæ aliorsū cōmigraturæ inte-
gris alicubi exuerētur Prouincijs, ac nō do-
mibus tantū particularibus, insuper incer-
tæ si alibi tām feliciter in noua suæ Tribus
portione funiculos tentiorum suorū po-
terunt dilatare. Alia Religio sicubi nōnul-
la sibi domicilia amissa per lustrorum per-
secutiones cæteris seruarat residua, quanta
à persecutoris furore potuerat abscondere,
communive Barbari incendio eripere, ijsdē
per commilitones, & comministros suos se
sentiret spoliari, & vnde eadem nondū ex-
truserat ferox persecutor, inde eam mītis
conseruus emoueret, quo spectaculo non
stomachum quidem aut bilem, at viscera
tamen priorum possessorum commota iri
quis dubitet? maximè vbi de vltima reli-
quiarum perditione ageretur, vnde totius
instauratiōnis sperabatur remedium: & si
mater teneroris filij ægrius fert separatio-
nem, quo animo erit Pater spiritualis deser-

V 2 turus

turus filiolos , quos mallet iterum semper cum Paulo parturire? quo animo infirmiores filij ad aliorum patrum quæsitionē inopinatō amandandi ? Certè onerosum erit cuilibet plantasse arborem , & non gustare fructum eius.

II. Sed dices puerile id esse, ac alterna regionum permutatione facilè hoc damnū refarciri: quinimò noui, ac specialis honoris accessu compensari abundè, cum quælibet Religio diuisionis beneficio propriū fortiretur populum acquisitionis, in quo sola ipsa gloriaretur, quod ab Apostolico spiritu nequaquā alienum est, cum & Petrus Iudæorum, ac Paulus Gétium Doctor speciali gloria nuncupentur , vt non vereatur dicere Paulus ad Galat. 3. *Qui operatus est Petro in circumcisione, operatus est mihi inter Gentes.* Sic igitur poterit, & quæuis Religio suis dicere Neophytis: *Nonne opus meum estis vos?* 2. Cor. 10. Verum, vt syncretè dicam, pueriliora ista sunt , quam vt aut detrimentum compensent, aut Apostolico

spi-

spiritu consentanea demonstrentur: quāuis enim (vt exponit S. Tho. in cap. 3. ad Gal.) *Petro commissa fuerit autoritas, ut prædicaret Iudeis tanum, & Paulus Gentibus,* id tamen intelligēdū est *quantum ad principalitatem, & appropriationem.* aliquanto tempore sub initia nascentis Ecclesiæ necessariam, sed postmodum, & Petrus prædictauit Gētibus, & Paulus Iudæis, nulla enim hic interueniebat, aut iuris, aut officij coarctatio, nec priuatio largioris potestatis; quomodo enim aliàs permisisset Petrus Paulo ad Hebræos tam prolixè scribere, aut *Paulus Petro quòd Romam adiret, artem ipsā Gentilitatis adoriturus, si hoc erat falcem in alienā messem mittere?* quare facillimè patet quantum inter hanc & illam diuisiōnem intersit. Memini dirissimo cachoethi simile cōtra Religiosos mendicantes fuisse despumatum, quando prædicationis officium ab ijs omnino amotum esse quidā cupiebant, eò quod ab Episcopis (quibus id functionis ex propria vñctione dicebant,

com-

competit, præuenti essent, sic quod in eorū messēm ipsis appropriatam nemini, vel ex commissione quoque liceret iniçere adiutricem manum, ne officiorum oriretur confusio, ac super alienum inciperent ædificare fundamentum noui Prædicatores, quod cauerat Apostolus ad Rom. c. 15. dicēs: *Sic autem prædicauit Euangelium, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum adificarem.* Et alibi 1. Corin. 10. *Non in immensum gloriantes in alienis laboribus, siue secundū Glossam, ubi aliis fundamentum fidei potuisset, quod esset ultra mensuram gloriari.* Et paulo infra, ubi dicitur, *non aliena regula, exponit Glossa, de his qui de alieno sunt regimine; ut sunt plebes de regimine Episcoporum.*

III. Verum iampridem his, similibusq; cauillis occurrit nobile illud par Doctorū Thomas, & Bonauentura, ostendendo id Apostoli eiusdem voto cōtrariari, cū dicit: *Vt sapiens Architectus fundamētum posui.* (Glos. prædicationē) scribendo contra im-

pu-

pugnantes Religionem, alius autem superadificauit, unusquisque autem videat quomodo superadficet, quod Ambrosius intelligit de superædificatione doctrinæ, ut proinde nec Prælatis Ecclesiarum iniurium sit, nec primis certarum in altero Hemisphærio Prouinciarum Catechistis, sicubi noui eorum culturæ accedunt eorum Prædicatores, sicut nec Paulo iniuria facta, cum Ioannes accedebat Ephesum, nec Petro, cum Paulus Romæ iactis iam hic, & ibi fundamentis ædificabat: adeo longè abest à mente Apostoli id quod ex eius cit. ad Rom. testimonio, videbatur exprobare obiectio, quasi non liceret alieno fundamēto superstruere, quamuis id Paulo aliquando necessarium fuerit, ut transiens eos quibus Christus iam annūciatus fuerat, apud alias fidei fundamenta moliretur; nam (ut expo-
nit S. Thomas) Apostolus ad Rom. lib. 3. non tantū cupiebat ædificatis superextruere, sed etiam à fundamentis incipere, vbi ne-cessarium erat: quod non fuit in immēsum.

glo-

gloriari, testante eodem D. Sancto, quia nec sibi per hoc aliorum qui fundamētum posuerant, arrogabat labores Apostolus, nec fundamento eorum, ceu inutili, aliud apponere fundamentum contendebat, nec denique de aliena regula, aut alieni regiminis fidelibus (v.g. Antiochenis, aut Romanis, quos & ipse excoluit) tanquam de sibi subditis, aut sibi vni obligatis gloriabatur, uti nec faciunt in nouo Orbe Euangelici Prædicatores, quamdiu promiscua sedulitate eas oras excolentes, aut fundamenta locāt, aut vbi ea iam facta inueniunt, doctrinam Apostolicam superædificant industrij quaquaversus operarij, ac mutuis inuicē obsequijs succollātes in ædificationē Corporis Christi, Ephes. 4. quatenus ex eo totum corpus ostendatur per omnem iuncturam subministratiōnis connexum.

IV. Fateor non longe abesse mundanos ab eorum indole, qui vocauerunt nomina sua in terris suis Psal. 48. vt promiscuā aliorum structurā in suo à se posito fundamen-

to

to non sustineāt,eò quòd vnicè proprij no-
minis,& sobolis carnalis æternitatē quæ-
rant: sed quid viris Apostolicis cum spiritu
seculari mundanorum ? quæ communica-
tio tum lucis ad tenebras, tum filiorum lu-
cis ad filios tenebrarū? absit, immò & abest
à Religiosis Euangelij præconibus, qnot-
quot Orbi nouo lucent, hæc ambitiosa va-
nitas, vt quibus iniunctum est portare no-
men Domini coram Regibus,& Gentibus,
sui quærant nominis dilatationē, id dicebāt
gigates illi. *Venite faciamus nobis turrim*
&c. Gen. i i. Non sic autē Apostolici Præ-
dicatores, qui ad hoc extrema Orbis aggre-
diuntur climata, vt iterum fiat omnis terra
labij unius, &c. catenus, qua omnis lingua
confiteatur, quia *Dominus noster, &c.* & si-
cubi tales religiosa sibi domicilia excidāt,
reuera excidunt, vt non habeant latera pro-
faxis,&c. sed sicut ipsi sūt tunsonibus, pres-
suris expoliti lapides, ita à proprietū mar-
tyrum triumphali cruore suorum parietū
incrustationem auspicantur; si enim Chri-

stianorum sāguis (Tertull. teste) semen est,
Augustino certè etiam Cænobiorū cæmen-
tum est; nam secundum ipsum in psal. 132:
Sanguis Martyrum peperit Monasteria,
quæ vtpote tāto venarum, immò vitarum
sunt fundata: quomodo ab innoxijs, ab indu-
strijs, veris, ac propinquioribus eorum filijs,
inuecta Regionum diuisione, desereretur?

V. Deniq; si cuiuslibet ferè Religionis
effusus inibi sāguis, ideo quasi promiseuis-
riuis eam sibi obsignauit Provinciam, ne
illa vnquam ab ullius instituti successori-
bus exanguis desereretur: si agonalis ipse
Religiosorum Martyrum cruor sub altare
Dei vociferans totidem suis ora laxat poste-
ris, quot fistulis ipse, quot arterijs, quot ve-
nis exiliens spiculatoris ensē insecutus est:
si demum lentis vistulati flammis Apostoli-
ci Heroes sub ipsis adhuc fumantibus mi-
stis fauillis vitalem filijs fecuturis abscon-
derunt calorem; quā humanitate, qua pieta-
te inde à commilitonibus suis arceri, aut ad
dissitas aliorum Regionum oras amandari
potue-

potuerunt eorum filij, ac fratres, & vniuersa spiritualis cognitio? videlicet ne ibi ferueant, vbi suorum calent cineres, ne ibi luceat, vbi suorum sanguis terram purpurat, ne ibi clament vbi suorum guttura etiam truncata latiori hiatu, patulisq; arterijs tantopere vociferantur? non sunt tam arcti constitutiendi limites Euangelico spiritui, qui vbi volit spirat, nec sunt fabricada viris Apostolicis Cyclopea agestorum montium obstacula, ne liberè volitent ut nubes, Orbem quaquamversus imbre serotino perfusuræ.

VI. Sed quæres, fuerit ne Apostolorum iniuria, cum ab ipso Saluatore ad solam Iudæam Euangelij præconio imbuendam restringerentur, adiuncta seuéra inhibitione: *In viam gentium ne abieritis?* quod si idem nunc inter Euangelicos illarum partium ministros conueniret, ut alter alterius messem ac fines non ingrederetur; vtq; adhuc non minori quam tunc Apostoli fruerentur spiritus libertate. Verum quærendum rursus, num id imitandum proponatur Apostolo,

rum successoribus, an vero illud, *Euntes in mundum*, &c. si ergo aliquando Palæstinæ termini Apostolicæ prædicationis fuere limites ante resurrectionem, ita opus erat, testante Hieronym. vt inexcusabilis fieret Iudæorum perfidia, quibus vnicè ad id vsque temporis vniuersa discipulorum, vna cum magistro insudarat pietas. Expediebat idē rudibus adhuc Apostolis, quibus ad exercitationis palæstram Palæstina primitus data fuit (annotate Chrysostomo) vnde deinde consummati pugiles egredierentur ad vniuersi Orbis agones, & vbiq; volitarent intrepidi, ceu pulli circa nidum proprium prius exercitati, quo modo & nostrorum temporum Apostolici præcones primum dominum propriæ multorum annorū disciplina exattati, in ieunijs, vigilijs, varijs pietatis, & virtutum exercitationibus, tanquam in tyrcinio assueti, veluti ab umbra ad Solem, in patentissimam vniuersi Orbis arenā emituntur, erumpuntq; in agonalem circum, qualem illis non distributionis funiculus,

sed

sed Solis rotæ per mundi Hemisphæria si-
gnarunt amplissimum; prodeunt inquā, ea
quæ in auriculam acceperant prædicaturi
super tecta, & quod in ostio speluncæ à le-
uis auræ sibilo didicerant, laxatis arterijs
per aperta peregrinorum climatum spatia
vociferaturi, vt in omnem terram exeat so-
nus eorū, vnde coarctari ab æqualibus nec
debent, nec possunt, ne fructus vniuersa-
lissimæ prædicationis interlabatur. Quid si
Gentibus strictis innocentis Ecclesiæ mul-
tiplicibus arterijs eius præconiū in vastissi-
mis aliquād o noui Hemisphærij tractibus
mandetur, & cogātur vt iterū conticescat?
Præclarè Angelicus Doctor id ad Ecclesiæ
persecutionem spectare docet, magnū in-
ducens Gregorium lib. 20. moral, cap. 30.
iuxta illa Iobi lamenta, *Quasi capitio*, siue
caputio, vt S. Th. legit, *tunica succinxerunt*
me, sic discurrentem, vt tunc Ecclesiæ vocē
crudeliter intercipi dicat, quando caputio,
quo non nisi operiri debuerat à persecuto-
ribus succingitur, id est constricto enormi-

ter

ter caputio torquetur, verba sūt Magni Pōtificis: *Tunica caputum collum circumdat inducentis, collum vero si ſtrigitur, vocis uſus, eſc' vitalis flatus enecatur: Sanctā ergo Eccleſiam reprobi quaſi capitio tunica conſtringunt, quia in ea perſecutionibus ſuis vi- tam fidei extingueſe conantur; hoc quippe conari perſecutores eius ſpecialiter ſolent, ut ab ea ante omnia verbum prædicationis tol- lant.* Ad reliquum festinemus.

CAPVT VLTIMVM.

Summa cautela proinde occurrentum dia- boli inſidijs id unum ſat agentis, ut inter Dei miniftri ſymmetria, eſc' unitas ſpiri- tus diſſoluatur ſub pietatis prætextu.

I.



Ngens olim, & ſat periculo- ſa diuilio, nobilissimā Co- rinthum inter ipsa naſcen- tis fidei primordia contur- babat, ita procurante dæmo- nis inſidijs, aſtuque, quo ſe per inimicus ho- mo

mo synceræ Apostolorum seminationi insidiatus est: notauit hoc diligenter Chrysostomus, ad cautelam futurorum, rem, discrusu, vt solet, profundiori definiens: *Cum n.* inquit Hom. i. in epist. ad Corin. in præfat. *diabolus ciuitatem* (Corinthiorum) *magnā,* *populosam, veritati inherentem, diuitiarum,* & sapientia nomine admirabilem; *Græcis caput* (Atheniensium enim, & Lacedæmonum res amissio iam principatu defecerant) *maximè autem promptissimo animo verbū* *DEI suscipientem videret, inter ciues discordias disseminauit.* Ad has autem insidias occasionei ei fuere diuitiae, & sapientia, & inde incolarum factiones; siquidem multitudo sponte sua quosdam Principes constituerat, aliij alios tanquam sapientes secuti, à quibus persuasi homines, maius quiddam hos quam Apostolum & dicere, & docere posse contentebant: inde ortæ contentiones, & schismata, ut unusquisque etiam suum baptistam, & catechistam extolleret dicendo [Ego quidem sum Pauli, ego Cepha, ego Apollo.] Est nem-

pè

pè ista viciatæ naturæ nostræ pronitas, particularis semper excellentiæ, etiam post tam profundum lapsum inter miserias cupida, nitatur perpetuò extollere propria, & ne qua desint, quæ extollat propria, diuide-re quoq; cōmunia, magis cupiens partem sibi appropriare modicam, in qua suspicia-tur, quam communicare in toto in quo suscipiatur, ut faciebant Corinthij. Quod quā perniciosum sit, præcipue in sacra Euange-licæ pro plantationis cultura, quamq; oportunum inuidentis diaboli conatibus, hinc aliquantulum colligi potest, quod commu-niter post frustra excitatas crudelium Tyrannorū persecutio[n]es, post infeliciter ten-tata Idololatrarum obstacula, post obiectas inaniter aduersantium hæreticorū machi-nas, cum aliter obrui surgētem vndequaq; Euangelii messem, aut reprimi potentem diuini verbi victoriā non posse animad-uertit; eò tandem configere solet, vt ipsos fidei præcones rupta charitatis compage, ab inuicem dissilire faciat, perq; diuisionē,

aut

aut magis diuisionem ipsorum, Apostoli-
cas vires quæ vnitæ fortiores erant , ener-
uet . Notum satis est Orbi nostro, qualiter
in Nouo,in vastissimis inquam Gentilium
regionibus (ne antiqua exempla reuocare
opus sit) recens detectis obſtiterit Chri-
ſtiani dogmatis promulgationi callidus ve-
terator: feroceſ primū barbaræ Gentis ar-
mabat manus in Christianorū illuc aduen-
tantium innoxios cœtus: carceres,tormen-
ta, pyras,ac lenta Iaponū excitabat suppli-
cia ad communem Euangelicorum præco-
num perfecutionem,mille martyria, mille
theatra,mille cruces contra vnicæ ſaluifice
crucis confeſſionē erigebat,ſed (vt fieri fo-
let) in vanum; nam etiam ipſe Christiano-
rum ſanguis (vt iampridem Tertullian. in
Apologetico annotauerat) ſemen erat,quod
miris,ac ſubitis incrementis in immensam
repullulabat messem Christiani germinis;
Per hæreticam ergo verſutiam,dolosque
pseudo-politicos tentāda erat alea, inſtag-
atis perduellibus Hollandis,& Anglorū mi-

X

niftel-

nstellis , vt apud Barbaros Dynastas Religionis negotium, cœu Reip. perniciem , & insidias coronarum interpretarentur, quasi eriperet Christus mortalia , qui Regna dat cœlestia, nec animarum ista, sed corporum, ac ditionum esset piscatio . Vnde resuscitatus Principiū infidelium furor aliquādiu, editis, ferro, flammis Christianam Gētem longe à plebe sibi subdita arcere conatus est . Verumtamen cum & hanc suspicionē paulatim euacuaret religiosa omnium Catechistarum integritas, candorque ab omni temporalium cupiditate manifestè alienus, supererat, si extrema fortuna dæmō ipsum illud tandem conaretur aggredi Christianorum Præconum vexillum, ex quo suum agmen à prædonibus dignosci , ac secerni voluit Christus (cum dixit, Ioan. 15. *In hoc cognoscet mundus quod mei estis Discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem*) ut nimis dum Catechistarum concordia res paruz̄ crescent, vix , nisi eorūdem discordia forsan dilaberentur: Cupit igitur impurus

rus spiritus (vt cum Cluniacensi discurrā
epist. 3.lib. 1.) *Inter Prædicatores iacere po-*
mum discordia (prout est humanæ fragili-
tatis infirma conditio) *ut recedente una &*
sola charitate, uniuersa virtutum genera mi-
nori labore valeat effugare, & inter se arie-
tibus gregis conflictantibus, oues Domini-
ci gregis securius versutus lupus inuadat,
& ad inuicem militiæ Christianæ ductori-
bus præliantibus, absq; alia inuasionē Resp.
parua, & pusillus Christi grex suis met dis-
sidijs destruatur.

II. Ne tamen boni specie careat laruata
dissidiorum suggestio, nil fortasse ita com-
modum, ac opportunum serpenti antiquo
occurrit ad procurandam animarum sepa-
rationem, quam si à corporum separatione
incipiat, sub melioris profectus colore, hæc
instillanda, videlicet an non conueniat ma-
gis singulas vastissimarum illarum regio-
num Prouincias singulis assignari cultori-
bus Euangelicis, vt accurati excolantur,
ne qua Catechistarum ex promiscuo om-

nium labore oriatur cōfusio : ne ædificetur à subsequētibus in alieno fundamento : ne obseruentur immēsitate operis Apostolici Prædicatores , si in solidum cuiq; curanda restet vniuersa illa Regio , adeoque partidas esse prouincias: assignandam esse diuersis Catechistarum ordinibus portionem vi neæ, in qua laborent ne alios turbēt, aut ab alijs in proprio fundo conturbentur , paci, & profectui expedire, vt indiuisa omnium socialisque prædicatio , tanquam tenellus fœtus diuidatur.

III. Sed nō poterit gyrū Arcturi dissipare versipellis, vnitas. n. posuit De^o stellas in ordine suo ad lucēdū super terram à misera inquietudine defluētiū spirituum , & indicantiū tenebras suas nudatas diuino lumine. Ista procedūt ab eo qui perniciosis contentionibus ipsam conantur effundere charitatem, & vnitatem. Certè vt dicebat Aug. lib. 12. confes. c. 16. *Sicut fons in paruo loco vberior est, pluribusq; riuis in ampliora spatia fluxum ministrat, quam quilibet eorum,*
riuo-

riuorum, qui per multa locorum ab eodem, fonte deducitur; ita & prædicatio vberior sicubi riuus riuo adiungitur, vt fiat fluuius grandis (fluminis.n. impetus lætificat ciuitatem Dei) & vberima scateant fluenta veritatis, quā si seorsim ē lōgissimis tractibus, locisq; remotissimis, & si abūdē, deriuantur, ob id rigauit mōtes de superioribus suis, vt copiosa esset prædicatio, inter mediū monium pertransibunt aquæ, vt cōmunis esset prædictoribus, legitimisq; verbi præconibus administratio sermonum Dei, sicut veritas omnibus cōmunis est. ob id clamabat Sāctus ille Antistes c. 25. in 12. cōfess. Tremenda sunt iudicia tua, quoniā veritas tua nec mea est, nec ullius, aut illius, sed omnium nostrum, quos ad eius communionem publicè vocas, terribiliter admonens nos, ut nolimus habere eam priuatam, ne priuemur ea; nam quisquis id quod tu omnibus ad fruendum proponis, sibi propriè vēdicat, & suum vult esse quod omnium est, à communi propellitur ad sua, hoc est à veritate ad mendacium,

cium, qui enim loquitur mendacium, de suo
loquitur; & propterea siue in accipienda,
siue in tradenda veritate, commune debet
esse, quod omnium est veritatem amantiū
studium. Huc refertur fraterna, & pacifica
vnitas, vt nullus sibi, nec alterutrō priuatis
placitis, & finibus hæreat, nec hic in isto,
nec in hoc iste, sed ambo in ipsa quæ supra
mentes omnes est incommutabili veritate.
Individuam, & indiuisam voluit Euangeli-
cæ veritatis prædicationē ille qui facit con-
cordiā in sublimibus. Hic perpetuus Chri-
stianitatis character, qui nunquam terrenū
illum funiculum distributionis adhibuit,
& in nullius mentis aciem in animarū pi-
cationē prouocanda, atq; quærēda cadere
potest talis scissio, nisi eius qui per inania
cordis sui cū suis phætasmatibus vagatur, &
voluitur sufflantis in puluerē, & excitantis
terrā in oculos suos; nec n. religiosi pecto-
ris ista cogitatio est, nec à natura Euangelij
proficiuntur, sed eā & typhus & superbia
parere solet. Et quando cætera argumenta
dees-

deessent ad contrarias suasiones restrictionis, & partitionis eiusmodi, illud non leue argumentum apparebit absq; dubio vberius (nisi me mea fallit opinio) vis ingēs, & omni natura sublimior indeoles illa Euāgelicæ prædicationis, quæ referato potentissimo ignotarum regionum, & Regnorum ostio, sicut hactenus factū est ex promiscua Catechistarū opera citius transfretabit prædicatione ad gentem couuulsam, & dilaceratā, diuinorum mysteriorum ignaram, ambulātem in via sensus sui, magisq; Ecclesiæ tentoria dilatabuntur, & extendentur funiculi eius ad extremos terræ. Tandem si hæc non suadent, suadeat Apostolicæ Sedis authoritas (ex decreto, quod in fine apponetur opusculi) quæ viam facit in mari equis suis, & omnium ordinum legitimè missis operarijs voluit esse cōmunem, indiuiduā, & vniiformem prædicationem conseruātibus unitatem spiritus in vinculo pacis, & charitatis.

Hæc

HAEC pro indiuisa Euangelij prædicatione suadenda, ex dictis sunt desūpta Sanctorum, ad concordiam firmādam, & præcauēdas tentationes quas malus ales posset suggerere. eas maiori energia, & gratia depellet lux illa inacessibilis, quæ melius loquitur intus, quam quis disertissimus suadeat foris. Aderit spiritu suo, spiritui præconum aduersus spiritus nequam, qui & facilitatem humilitatis, lucem veritatis, dulcedinem charitatis, pacē pietatis infundet, & si quis adhuc extra propriæ mēsuræ terminos vagari vellet, & vltra nutritorias cunas superba imbecillitate se extenderit, miserè corrueret. Serua ergo Domine operarios tuos in nidulo dilectionis, & unitatis tuæ, & plumescat, & suo tempore per aera volitent veluti volucres cœli, & de medio petrarum edant canoras voces prædicatio-
nis tuæ, & implumem pullum, hunc nidū relinquente serua ne conculcent transeuntes viam, repone iterū in nido, & ibi tādiu plumescat, donec volet, & in discursu Euā-
gelij nunquam deficiat.

Coro-

Coronis totius discursus, continens exhortationem ad Euangelicos pracones.



Ndiuisa ergo Euāgelicæ prædicationis natura non meis,
sed Sanctorum documentis,
& Apostolicis constitutionibus probata ; iam vela colli-
go ad Prædicatores Apostolicos, mundi lu-
mina, quadrigas Christi, oculos orbis, pisca-
tores hominum, dispensatores multiformis
gratiæ Dei , paræneticus iste sermo dirigi-
tur, non vt vos instruam , sed exemplo , &
feruore vestro me excitem ad pietatem,
quamquam excitando charitatem vestram
nec essem insipiens, dicente Tertullia. Gla-
diatores perfectissimos, non tentū magistri,
& Præpositi sui, sed etiam idiotæ & super-
uacue adhortentur de longinquō , vt sæpe
de ipso populo dictata suggesta profue-
rint.

Iam videre mihi videor PP. amantissimi

Z

vos

vos ipsos viros Eua ngelicos descendentes
 mare in nauibus, facturos operationes in
 aquis multis, expeditionem nauticam in-
 tueor ad insulas maris destinatam (vt por-
 tent nomen Domini) omnibus virtutū co-
 pijs refertam, pace, & animorum concordia
 munitam, quo glutino Christus Dominus
 Apostolos (ne tabulæ dissolutæ aquis per
 rimulas ingrediendi locum darent etiam
 nautarum periculo) colligauit. *Felix cursus*
 dicebat Hieronym. ep. 4. *Si (nauigātes, &*
negotiatores ciuitatis terrena) eos portus te-
neant, à quo se incipit aperire Oceanus, per
quem vix anno perpetuo ad Indiā perueni-
tur, & ad Gangē fluuiū, quē Phison. S. Scri-
ptura cōmemorat, q circuit totā terrā Eui-
latib, & multa genera pigmētorū de paradi-
si dicitur fonte deuobere, ubi nascitur carbū-
culus, & smaragdus, & margarita canden-
tia, & uniones quibus nobilium fœminarū
ardet ambitio, montefq; aurei, quos adire pp
Gryphas, & Dracones, & immenorum cor-
porum monstra hominibus impossibile est; ut
offen-

ostendatur nobis quales custodes habeat au-
ritia.] Sed sors felicior nauigationis vestra,
nam & didicistis cunctas huius seculi opes,
& negotia, propter dominum esse relinqua-
da, cum Iacobus, & Ioannes vocati à Domi-
no (referente Tertull.de Idolatria cap. i 2.)
& patrem, nauemq; derelinquunt; cū Mat-
thæus de telonio suscitatur: cum etiam sepe
lire patrem tardum fuit fidei. Quod si (ad
continuandum Hieronymianum discursū)
negociatores seculi tanta sustinent, ut ad in-
certas, periturasque diuitias perueniant, &
seruent cum anima discrimine que multis
periculis quasierūt: quid inquā Christi nego-
tiatori faciendum est, qui venditis omnibus
quæret preciosissimum margaritum? qui totis
substantia sua opibus emit agrū, in quo repe-
riat thesaurū, quem nec fur effodere, nec la-
tro possit auferre? An parvus thesaurus pas-
sionis Christi, dæmonis expoliatio cum to-
tius mundi inuestitura? prædictum id Esaias,
(vide Chrysostom.hom. quod Christus sit
Deus tom. 5.) Fortius spolia diuidet, eo quod

Z 2 in

in mortem tradidit animam suam, & hæreditate possidebit multos, quia ait Chrysost. præficiendus erat toti Orbi. His thesauris exornanda sponsa prædicatorū ministerio: *His oībus velut ornamēto vestieris, & circūdabis tibi margaritas, uniones quasi sponsa coronā.* Felicior cynosura vestra antiqua illa quæ Argonautas illos LIV. fabulosos perduxit Colchos. Ij namq; post tot maris superata discrimina, post tēpli Martis incendium, post custodiētum militum cædem, fugato serpente super aureum vellus insidente, exiccatā illam ouinam pellem nulla anima īforma tam velut grande trophæū, tanquam præmium, vt putabant condignū tempestatum, & præcedentium laborum, asportarunt: vos autem cœlestes Argonau-tæ numero, & merito illis maiores, inter quos non Castor & Pollux, Hercules, Tela-mon, Orpheus, aut Iason quispiam, sed Dominicus, Franciscus, Augustinus, Benedictus, Elias, Ignatius, Duces vestri, extrema terræ penetrabitis: exiguō ligno sub Dei tute-

tutela committentes animas vestras; delu-
bra Deorum gentium comminuetis, super-
stitutionum custodes, mystas, & sacrificulos
spiritualiter enecabitis, vt Christo viuant,
serpētem antiquum molliter in pectoribus
infidelium insidentem fugabitis, non ouīū
pellem, sed ipsas oues, quæ nūc non sunt in
ouili, ad Christum adducetis, & sub grege
eius, eiusque Vicarij Urbani VIII. Sac. Con-
gregationis de propaganda fide propagati-
oris, & zelantissimi protectoris, tanquam
illustre trophæū adunabitis: Reges, & Dy-
nastæ magis de spirituali, quam de sensibili
aureo vellere, quod tanquam pretiosū
monile ante pectus circunferunt posthac
illustriores, quando ob eorum liberalitatē
pro nauali hac expeditione etiam Euange-
licis ministris suas copias ministrant. Illud
implebitur de gentibus conuersis: & erunt
Reges nutritij tui, & Regina nutrices tua:
vix pes vester eas regiones calcabit, deduci-
ti in portum voluntatis diuinæ, cum illud
à conuersis Gētilibus resonabit: *Exaltent:*
eum.

cum (exponente August. serm. 15. de tempore, i. Petrum, & in Petro eius successore Urbanum) in *Ecclesia plebis*, & in *cathedra seniorum laudent cum*. Non vnuſ Macedo, ſed innumeri populi, quibus non effulſit Euangelium gloriæ Dei, vos expectant, vt ſint docibiles Dei, qui iam abſumpti Euāgelici ministerium instaurandum conclamant: lachrymæ effuſæ, cum euntes mitterent ſemina ſua, multiplices agricolas ad refertos comportantes manipulos audiē interpellant: effuſus fanguis, & ardor exuſtorū corporum Præcones Euangelij manib⁹ accersunt, vt ſit messis copioſa. Circus, & Amphiteatrum, vt commune ſpectaculum Dei, Angelorum, & hominum, ad agones inuitat, Gentilitas ipſa expoſcit, cōmunis ſit prædicatio, cōmune ſtudium, cōmunis catechesis, vt citius gentilitiæ leges aboleātur, idola deſtruantur, ſuperſtitiones de medio tollātur, vbiq[ue] Crucifixus adoretur, & vbi religio eius non eſt plāntata, radices accipiat, vbi vero plantata ad matu-

ram

ram messem excolatur. Vbiue discurrete
Euāgelici PP.(dicam cum Aug. 13.confes.
c. 19.) *Ignes sācti, ignes decori, vos enim estis
lumen mundi, nec estis sub modio, exaltatus
est cui adhaesistis, & exaltauit vos: discurrete,
& innotescite omnibus gentibus.*

Expauescet sāpē caro in persecutione
Gentilium,& vt dicit Tertull.ad martyr.c.
14. *Timebit caro gladium grauem, & cru-
cem excelsam, & rabiem bestiarū, & sum-
mam ignium pānam, quæ in nupera per-
secutione Iaponū oīa viſa sūt, & omne car-
nificis ingenii in tormentis: fateor. Sed (ex
eodem) multi Gentiles varie, & fallacis
gloria aura perflat, nō dissimilia perpeſſi. Ig-
tur si tantum terrena gloria licet de corpore,
& animi vigore, ut gladium, ignē, crucem,
bestias, tormenta cōtemnant sub prāmio lau-
dis humana, possum dicere, modica sunt ista
passiones ad consecutionem gloriae, & celestis
& diuina mercedis. Tanti vitreum, quanti
verum margaritum? *Quis non libentissime**


tan-

*tantum pro vero habeat erogare, quantum
aliū pro falso?*

Ibi ergo sit cor nostrum (ait idem c. 3. ibid.) vbi volumus habere thesaurum. molestus carcer, gladius , ignis, & omnia tormenta diaboli; *at vocati sumus ad militiam Dei viui, iam tunc cum in sacramenti verba, respondimus. Nemo miles ad bellum cū delicij⁹ venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis, & substrietis, cellis, & carceribus, vbi omnis duritia, & imbonitas, & insuauitas consistit, etiam in pace, labore, & incommodis bellum pati iam ediscunt, in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinem desiccando. Sudore omnia constant ne corpora, atque animi expauescant . De umbra ad Solem, de Sole ad Cælum, & de tunica ad loricam , de silentio ad clamores, de clamore ad tumultum , de claustris ad cruentum certamen . Proinde vos benedicti quodcumque hoc durum est ad exercitationem*

*tionem animi, & corporis deputate, quasi
Isagogen, & belli præludium, in quo com-
militones vestri magnum passionum ago-
nem sustinuerunt. Bonum agonem subi-
turi estis, in quo agonothetes Deus viuus est,
Xystarches Spiritus sanctus, corona eterni-
tatis brauium, angelica substantia politia,
in cœlis, gloria in secula seculorum.*

F I N I S.



Aa

SAN.

SANCTISSIMI D. N.
D. V R B A N I
Diuina Prouidentia Papæ VIII.

CONSTITV TIO

Super Missionibus Religiosorum ad Iaponiam, & alias Regiones Indiarum Orientalium.

ROMAE, Ex Typographia Reu. Camera Apostolica. M. DC. XXXIII.



Niuersis Christifidelibus præsentes literas inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex debito pastoralis officij saluti animarum, & fidei Catholicæ propagationi propiciantes, ea qua prouide à Romanis Pontif. prædecessoribus nostris propterea ordinata fuerūt, si subinde experientia doceat, ea mutatione indigere, libenter immutamus, aliasq; disponimus, prout ad fidei Catholicæ propagationem, & animarum salutem huiusmodi conspicimus in Domino salubriter expedire. Alijs si quidem fel. rec. Gregorius Papa XIII. prædecessor noster certis tunc expressis causis adductus, per suas in simili forma Brevis literas sub dat. die xxvij. Ianuarij M.D.LXXXV. Pontificatus sui anno xiiij. Omnibus Patriarchis, & Episcopis, etiā Prouinciaz Chinæ, & Iaponis, sub interdicti Ecclesiastici, & suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, & Pontificaliū exercitio, alijs verò Sacerdotibus, Clericis, & Ministris Ecclesiasticis tam secularibus, quam cuiuscumque Ordinis regularibus, cuiuscumque status,

status, gradus, ordinis, & conditionis existent sub excōmunicationis maioris pēnis ipso facto incurrendis interdixit, & inhibuit, ne ad earum regiones, & Prouincias Iaponicas, Euā gelij prædicandi, vel doctrinam Christianam docendi, aut Sacra menta administrandi, aliaq; munia Ecclesiastica obeundi causa, sine suā, & Sedis Apostolicæ expressa licentia profici sci auderent. Postmodum autem rec. me: Clemens Papa VIII. similiter prædecessor noster, accepto quod tam Chinæ, & Iaponum, quam aliae illius vicinæ, & adiacentes Insulæ, Regiones, & Prouinciaz, ac finitima Regna Indiae Orientalis amplissima, & populis refertissima erant, & pro tanta animarum multitudine ad fidem Cartholicam traducenda, & spiritualibus alimentis fouenda, plures operarij, ac ministri necessarij erant, quam ex sola religiosorum Societ. IESV haberi poterant, omnibus, & singulis mendicantium Ordinū Magistris, seu Priorib; generalibus tunc & pro tempore existentibus indulxit, vt cum necessitas postulasset, quoslibet Ordinis sui spectatae vitæ, & eruditio nis religiosos, quos nimurum ad predicta officia, & ministeria idoneos, & utiles fore in Domino iudicarent, per Lusitaniam dumtaxat, & suscep ta inde nauigatione, in Indias, & Ciuitatem Goā, atque ad Superiores Ordinum in illis partibus existentes transmittere, & tam ipsi sic transmittendi, quam alij supradictorum Ordinum Religiosi in eisdem Indiarum partibus existentes, & ad hoc munus obeundum à suis Magistris, Ministris, vel Priorib; generalibus, seu alijs Superiorib; electi, & approbati, tam ad Iaponicas prædictas, quam ad alias proximas, & adiacentes etiā Chinæ, & finitimarum Regnorum, & terræ firmæ Indiae Oriē talis Insulas, regiones, & Prouincias accedere posseant. Ceterum omnibus, & singulis Religiosis cuiuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis esent, sub excōmunicationis maioris, à qua non nisi à Romano Pontifice, præterquam in articulo mortis, absoluī posseant, necnon priuationis vocis tam actiuz, quam passiuz, ac dignitatum, administrationum, & officiorum quorumcumque, necnon inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac exercenda pēnis ipso facto absque vlla declaracione incurrendis interdixit, & prohibuit, ne ex Insulis Philippinis nuncupatis, siue qualibet alia Indiarum Occidentalium, vel quæ pro partibus Indiarū Occiden-

